AZ.
III

XXV
E
95.

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XXV
E
95
NAPOLI

XXV
E
95

Digitized by Google

Digitized by Google

Medicina

~~Scans. 33 [illegible]~~

Scanzia Numero [illegible] libro 57 [illegible]

Digitized by Google

DISCURSUS PHI-
LOLOGICVS.

DE VITÆ HUMANÆ GRADIBUS,

APPELLATIONIBVS EVENTVALIBVS, MIRA
brevitate, ſugacitate & inconſtantiâ,
rationem omnem ex-ſuperando
fugiente.

Cui acceſſerunt ejuſdem argumenti
ἀξιόλογα nonnulla.

I. Oratio de vitæ brevitate & artis longitudine:
de Medicorum genere duplici, Rationali & Empirico ſive circulatorio, annis Climactericis, &c.

II Doſatio Pſalmi 91. Euctica, privata.

III. Programma Schröterianum, indicium faciens funeris, meritiſſimi quondam, ſingularis exempli, & propemodùm incomparabilis viri, GREGORII BERSMANI ANNAEBERG. μιϰαεῖου, Gymnaſij, quod eſt in veteri Soraborum metropoli, Rectoris ac profeſſoris eminentiſſimi.

IIII. MANES BERSMANIANI.

V. Dicta inſigniora, de vitæ brevitate & inanitate, ex utriuſq; literaturæ autoribus hauſta.

VI. Propemptica in Academia Myrtorum modulata.

Unà cum indice autorum.

Inſtitutus
Diebus illis contractioribus Erumalibus.

Cura & fide HENRICI KITSCHII
Lipſ. M. B. & illuſtriſs. aulæ Deſſanæ
Bibliothecarij.

Soteropoli typis Dörfferianis.
A N N O
InCarnatIonIs DoMInI & ſerVatorIs noſtrI.

CONCEPTIONIS NEAPOLIS + BIBLIOTECÆ CAPUCCINORUM



ILLVSTRISSIMIS PRINCI-PIBVS AC DOMINIS

DN. JOHANNI GEORGIO.
DN. CHRISTIANO.
DN. AUGUSTO.
DN. RUDOLPHO.
DN. LUDOVICO.

Principibus Anhaldinis, Comitibus Aſcaniæ oræ: Dynaſtis Serveſtæ & Bernburgi &c.

Patribus & propugnatoribus patriæ

Fratribus unitiſs. & concordiſs.

Dominis meis Clementiſs. & perbenignis præſentem feturam, diſcurſum philologicum, bono genio natam & excluſam in Halcyoniâ Aſcanienſi, diebus illis contractioribus Brumalibus,

Strenam officii, arenam judicii, venam ingenii, tanti, quanti

Devotiſſimo animo, affectione propenſiſſima & propenſione affectuoſiſſima.

L. M. Q.

Offero, conſecro H. K. L.

Anno exordiali novo, imperiis fatali:

Coronet annVM proſperIore aVra DIes.

Ad Clariſſimum Virum

M. HENRICVM KITSCHIVM LIPSIENSEM NUPER SCHOLAſticum, nunc Hiſtorico-Politicum, de humanæ vitæ fugacitate commentantem.

QUi nuper puerorum Impiger Artibus
Formaſti liquidis mollia pectora,
Qui gratus Deo, & accommodus eſt labor
In quocunq; ſtatu diſpoſitis Viris:
Hunc defunctus iis nempè laboribus
Auram liberiorem capis, & tuâ
Virtute atq; boni Principis indole,
Cui, quodcunq; facis, complacet omne opus.
Hinc lucem hiſtoriis adde recentibus,
Et lucem hiſtoriis adde favens Patrum:
Lux vitæ hiſtoria eſt. umbra ſine hac mera eſt:
Fies ſtella micans, Juppiter aut Venus;
Si mavis, nova ſis Aſcanio in polo.
Quæ ſit vita hominum, ſive beatitas,
Quàm fluxa, atq; caduca, & miſera, & brevis,
Fortuna ut varia, & turbida, & impotens,

Hoc

Hoc ex hiſtoriis diſcitur aptiùs,
Quàm ſi tota legas philoſophemata.
Vitam noſſe juvat: ſi bona, temnere
Quò poßis: mala ſi ſit, moderatiùs
(Suffert, qui benè fert omnia) quò feras.
Vitam noſſe, piam dat Sapientiam:
Vitam notificans dat Sapientiam:
Mors vita eſt: pia Mors eſt Sapientia.

M. Cunr. Bavarus Poet.
Prof. Lipſ.

Ad Clariſſimum Virum D. M. Henricum Kitſchium Hippocraticum illud
VITA BREVIS, ARS LONGA
diſerte explicantem:
παράδοξον,
Quod,
VITA LONGA, ARS BREVIS.

Ars longa eſt, hominum brevis eſt, te judice, vita:
Judicio at brevis Ars, longaq; vita, meo (eſt:
Artes occulto quondam cecidère ſub æuo
Vita hominum ſectis intemerata viget.

Arte prior vita eſt, vitâq; exceditur ipsâ
Et longa eſt Ars, te judice, vita brevis?
Forſan & extremis medium brevioribus inquis
Ambiri? & Centrum latius orbe putas?
Pace tuâ dicam: brevibus dum ſecula donas
Artibus: & vitæ, (cenſor inique!) dies.
Vita tibi quondam neſciri neſcia ſurget,
Seu vivunt Artes, ſeu ſua Fata dolent.

M. Marcus Fridrichus VVendelinus, Palatinus.

Ad humaniſſimum doctiſſimumq; virum Dn.
HENRICUM KITSCHIUM, &c. tractatum de humanæ vitæ brevitate, fugacitate, &c. publicantem

EPIGRAMMA.

DVm de vitæ hominum mirâ brevitate, libellum
Huncce brevem emittis, diſſeris & breviter,
Haud, HENRICE! brevem perages ſine nomine vitam
Sed tua poſt mortem vita ſuperſtes erit.

Chriſtophori Lelmi.

ALIUD

Aliud Ejusdem

In vitæ humanæ fugacitatem atq; inconſtantiam, &c.

Umbra quidem brevis eſt rapidoq; fugacior Euro,
Quaq; Dies celeri præterit atq; fugâ.
Eſtq; fugax Somnus, nec multas durat in horas,
Et ſuccum amittunt Gramina ſecta ſuum.
Vno Bulla oculi perit ac enaſcitur ictu
Et facilè Vitri frangitur omnis opus.
Vita Hominum brevior leviorq;, fugacia quamvis
Vmbra, Dies, Somnus, Gramina, Bulla, Vitrum.

DISCUR-

DISCVRSVS PHILOLOGICUS.

De vitæ humanæ gradibus, appellationibus variis, mirâ illius brevitate, fugacitate, & inconſtantia.

ἀφοριστικῶς inſtitutus.

I.

HOmo Microcoſmus magni illius DEI, ſapientiſſimi Architecti, ut cum Philone loquamur, epitome, vitam diverſis ætatum gradibus diſtinctam accepit, in quibus vel inchoaret auſpicando vitam, vel in ea conſiſteret, vel ab ea declinaret. Tot enim ſunt apud Medicos vitæ & morborum periodi.

II.

Tanta verò eſt caducæ illius & fugitivæ vitæ imbecillitas, commutatio tanta, ut Sapientibus multis, non paucis etiam nationibus, oblata fuerit occaſio, variè & quidem πολλαχῶς ætatis hominum ſpacia partiendo diſpeſcere.

III.

Conſtituerunt autem tres ætates ſaniores Philoſophi, inter quos eminet Ariſtoteles; Iuventutem, Virilitatem, & Senectutem, his vocibus Græcis, νεότητα, ἀκμὴν & γῆρας.

Iulius Alexandrin: de tuenda ſanitate Iohann. Heurnius in epitome medicinali pag. 16. Quod eſt ſuperius, eſt ſicut id quod inferius. Hermes Triſmegiſtus. Alexand. Sardus de rit: popul. pag. 36. Ioach. Camer. pater de part. humani corp. pag. 17.

IV.

Quæ etiam ætatum diſcrimina Ser. Tullio maximè arriſerunt, definienti pueritiam, à momento nativitatis, ſive illius rudimento & primordio, ad annos 17. Juventutem ſive conſtantem ætatem ad annos 46. & cæteros, ſi qui ſupereſſent, ad ſenectam, ut monuit Gellius lib. 10. cap. 28.

V.

Quam partitionem & Lacedæmonij ſecuti ſunt in ſua illa triplici chori ſerie, qua includebantur ſenes, juvenes & pueri, vocantes Τριχορίαν, autore illius Tirtæo Poëta vetuſtiſſimo, cujus fragmenta extant in opere illo aureo, Voluminibus duobus diſtincto, Michaelis Neandri ἑλληνικωτάτου.

VI

Julius Pollux lib. 14. cap. 15. Onomaſtici.

Hinc Plutarchus in vita Lycurgi perfacetè ſcribens prodidit in hunc ferme ſenſum: Cum tres pro trium ætatum ratione chori ſive ordines, diebus ſolemnioribus inſtituti forent, ordo quidem ſenum primus auſpicabatur canens:

Romæ in æde S. Marci. Omnis ætas de ſuo tempore conqueſta eſt, referente Petro Apiano. p. 117. antiq.

Nos olim fuimus juvenes robuſti.

Ordo Virorum ſive ἀκμαζόντων reſpondens incinebat:

Nos vero ſumus, & , ſi vis, experimentum ſume.

At tertius puerorum plaudens, alta voce clamitabat:

Nos autem erimus, & quidem multò meliores.

VII.

M. Antonius Muretus.

Homero quoq; hæc diviſio probata legitur (uti accepimus ex variis lectionibus M. Antonii Mureti.) Nam tres ætates hominis vixiſſe Neſtora tradit opinione quorundam 300. annos, cuilibet ætati 100. annis attributis, aliorum 90. quod ſingulis ætatibus 30. annós putent deputari.

Priorem

VIII.

Priorem partitionem amplectuntur probatiſſimi Poëtæ, Tibullus lib. quarto eleg. 8. & Ovidius 12. Metam. : Poſteriorem autem Euſtathius in Libr. 1. Iliados Homericæ, & Didymus ſcholiaſtes.

IX.

Suidas quoque ὁμόψηφος ita ſcribens prodit: τριγέρων τρεῖς γενεὰς βιοὺς, τοῦτ' ἔστιν ἐννενηκοαέτης.

Senex dicitur, qui ſecula tria vixit hoc eſt Nonagenarius.

X.

Aliis viſum eſt, numerare vitæ gradus, ut Pythagoræ, ſecundum 4. anni partes diſtinguenti, ſicut teſtatum reliquit Diogenes ille, non Cynicus, ſed Laërtius: Puer VER, Adoleſcens, ÆSTAS, Juvenis AUTUMNUS, Senex HYEMS.

Sexagenarius de ponte.

Petronii lorum in aquâ.

XI.

Ariſtoteles, ſicut & Galenus in definitionibus medicis, faciunt

1. quidem τῶν νέων. *Iuvenum.*
2. τῶν ἀκμαζόντων. *Vigentium.*
3. τῶν μέσων. *Mediorum.*
4. γερόντων. Ita & Eratoſthenes apud Stobæum Serm. 115. *Seniorum.*

XII.

Et Naſo 15. transformationum lib. ita venuſtè luſit:

Quid non in ſpecies ſecedere quatuor annum
Aſpicis ætatis peragentem imitamina noſtræ?
1. Nam tener, & lactens, puerique ſimillimus ævo,
Vere novo eſt, tunc herba nitens, & roboris expers.
Turget, & inſolida eſt, & ſpe delectat agreſtes,
Omnia tum florent, florumque coloribus almus

 Ludit

Ludit ager, neq; adhuc virtus in frondibus ulla eſt.
2. Tranſit in æſtatem poſt Ver robuſtior annus,
Fitq; valens juvenis, neq; enim robuſtior ætas
Ulla, nec uberior, nec, quæ magis ardeat, ulla eſt.
3. Excipit Autumnus poſito fervore juventæ
Maturus, mitisq; inter juvenemq;, Senemq;
Temperie medius, ſparſus quoq; tempora canis.
4. Inde ſenilis hyems tremulo venit horrida paſſu
Aut ſpoliata ſuos, aut, quos habet, alba capillos.
Noſtra quoq; ipſorum ſemper requieq; ſine ulla
Corpora vertuntur, nec quod fuimusve, ſumusve
Cras erimus. Huc usq;.

Ioh. Thomas Freigius Part. 1 Ovidii pag. 498. Et Hercules Ciofanius in notis ad Ovid. pag. 177. ſegmenta aliis dicta, ut Proclo.

XIII.

Tametſi me non fugit, docente Cornelio Tacito, de moribus Germanorum pag. 21. tres tantum anni partes feciſſe Germanos: HYemem, Ver, Æſtatem; nomen & bona Autumni interea ignorantes.

XIV.

Indicat antiquiſsimis temporibus ita creditum Diodorus Siculus lib. 1. cap. 2. Bibliothecæ, narrans, aêrem dici Palladem & Jovis filiam & virginem, quia nō corrumpitur, ſublimi & excelſo loco conſtitūtam, ex Jovis cerebro natam: eandem habuiſſe nomen Tergeminæ, quod in tria annus dividatur tempora, ut modò commemoravimus. Idq; paulò antè retulerat de Oſiride, qui SOL eſt, & Iſide, quæ Luna Ægyptiis, quòd circumeundo orbem nutriat & augeat univerſa, & tria anni tempora inviſibili motu perficiat.

Probat

XV.

Probat Adrianus Imperator &, Epicteti Philoſophi Stoici dialogiſmus. Prima cella tepidaria unctuaria, infans natus perungitur. Secunda cella ſudatoria pueritia eſt. Tertia cella Aſſa, juventus. Quarta cella frigidaria, ſenectus.

Antonius Anſhel. de regimine ſenum. pag. 105. Gabriel Paleottus de bono ſenectutis pag. 37. Joh. Stadius in emendationibus ad Florum. pag. 3.

XVI.

Probat L. Florus in proœmio lib. 1. antiquit: Roman: qui quatuor Urbis Romæ ætates deſcribere ſe profitetur, ut humani corporis ſuis ætates ſingulas curriculis diſtribuens.

XVII.

Probat Seneca & ex eo Lactantius Firmianus lib. 7. cap. 15. non inſcitè Romanæ urbis tempora in ætates diſtribuens. *Primùm enim dixit infantiam ſub Rege Romulo fuiſſe, eò quòd & genita tunc & quaſi educata ſit Roma. Deinde pueritiã ſub cæteris regibus, à quibus & aucta ſit, & diſciplinis pluribus inſtitutisq; firmata.* Cumq; eſſet adoleſcentia ejus fine Punici belli terminata, tum deniq; confirmatis viribus cepiſſe juveneſcere.

XVIII.

Et paulò pòſt pergens ſcribit: *Donec regibus cunctis, & nationibus ſubiugatis, cùm jam bellorum materia deficeret, viribus ſuis malè uteretur, quibus ſeipſa confecit.* Hæc fuit prima ejus ſenectus.

XIX.

Verùm, ut eſt in proverbio, Bis pueri ſenes, ex ſenectute ad infantiam relapſam demonſtrat: *Cum bellis*, inquit, *lacerata civilibus, atq; inteſtino malo preſſa, rurſus ad regimen ſingularis Imperii recidit, quaſi ad alteram infantiam revoluta.*

Monarchia recidiva.

XX.

Epiſtol. 5. ad Marcellinum.

Probat D. Auguſtinus, quo loco ſanctiſſimus ſcriptor, mutatâ rerum conditione, ſummi DEI non mutari providentiam tradit, hoc exemplo inter cætera prolato: *Quoties noſtræ variant ætates? Adoleſcentia pueritia non reditura cedit. Iuventuti adoleſcentia, nec manſura. Succedit finiens juventutem ſenectus. Senectus autem morte terminatur.*

XXI.

Probat & in convivio ſuo ſubtiliſsimus Poëta Italus Dantes Aligerus Florentinus, cujus extant in æde Paulina Lipſiæ verſus Epitaphii, Ditzmanno Marchioni Miſniæ in vigilia nativitatis Chriſti à ſicario transfoſſo, ſcripti; nec non Franciſcus Philelphus lib. 3. convival. ſermonum.

XXII.

Eraſm. in adag. pag. 591.

Probat Euripides in ſuo illo reſponſo, cum ab Arceſilao reprehenſus eſſet quod juvenem oſcularetur Agathonem; *ne mirere*, ſubdit, *nam pulchrorum Autumnus pulcer eſt.*

XXIII.

Probant etiam Perſæ, uti colligi poteſt ex primo inſtitutionis Cyri Xenophontis Libro cum ſcribitur, eorum forum, nomine Liberum, in quatuor partes fuiſſe diſtributum: *Vnam quidem pueris, alteram iuvenibus, tertiam viris perfectis, poſtremam iis, qui ætatem excederent militarem.*

XXIV.

Et rurſus lib. 8. ſub illius initium, Cyrus moriturus filios ſuos ita alloquitur; *Mihi verò, cum puer eſſem, videor non minimum tuliſſe laudis fructum ex iis,*

iis, quæ in ætate illa habentur pro bonis: & cum ad pubertatis annos perveni, in iis, quæ adoleſcentiam ornant; & cum vir fui, in iis quæ decent viros: & temporis progreſſu videbar augeri mihi vires indies recognoſcere, ut nunquam expertus ſim ſenectutem meam infirmiorem juventute ullo fuiſſe tempore. Sic ille totum vitæ ſuæ curſum Perſica ratione æſtimavit.

Cicero pro Archia.

XXV.

Probavit Galenus ſub initium Lib. de totius morbi temporibus dicens: *Prima ætas generationis principium dicitur: Secunda incrementi: Tertia vigoris: Quarta declinationis.*

Andreas à Lacuna in Epitome Gal. pag. 175.

XXVI.

Probant etiam veteres pleriq; Medici, recenſentes quinq; partes ætatis humanæ: Infantiam, Pueritiam, Adoleſcentiam, Juventutem & Senectutem.

XXVII.

Hos M. Varro ſecutus, priores tres crudam appellat ætatem ſive viridem, juventutem adultam, & ſenectam præcipitatam.

XXVIII.

Probat item Cicero Lib. de luctu minuendo (ſi modò eſt Ciceronis, qui ſuperioribus annis in lucem exiit, quo autore, ſanè me nunc latet. ἄχεται γὰρ ἡ μνήμη.) Infantiam enim nominat, ſicut annotavi in locis meis communibus trigeſimalibus, adoleſcentiam, juventutem, conſtantem ætatem, ac ſenectutem, ſingularum miſeriás & ærumnas nervosè per[illegible]uens.

Petrus Cuperus in theatro vitæ hum. pag. 67.

XXIX.

Probat Annæus ille Philoſophus Stoicus Epiſt. 50. edi-

50 editione Pinciani, vel potius, ut mihi, Epiſt. 59 ut eſt in editione Gruteriana. *Punctum eſt*, inquit, *quod vivimus & adhuc puncto minus.* Sed hoc minimum ſpecie quadam longioris ſpacii natura diviſit; aliud ex hoc infantiam faciens, aliud pueritiam, aliud adoleſcentiam, aliud inclinationem quandam ab adoleſcentia ad ſenectutem, aliud ipſam ſenectutem. In quàm anguſto quot gradus poſuit?

XXX.

Probat Irenæus Lib. 2. contra hæreſes cap. 41. pag. mihi 189. *Quinq; ætates*, inquit, *tranſit humanum genus. Primùm infans, deinde puer, hinc parvulus, & poſt hoc juvenis, deinde Senior: ac diverſis rebus accommodat.*

Lib. de vera relig. cap. 26. pag. 105.

XXXI.

Auguſtinus Irenæum ſecutus ætatis partes, ſeu mavis, ſώματος ac ſpiritus profectum refert.

Lib. 3. de temperam. p. 65. cap. 10.

XXXII.

Inter Medicos Neotericos ſive modernos Johannes Fernelius, nova quadam ratione & via quinquenarium numerat ætatum. Primum enim facit adoleſcentiam, in annum 25. producens, & hinc habere nomen docens, quod tum corpora ob humoris copiam plurimùm adoleſcant, cujus major minorve copia plures illius ordinis ſecernit.

XXXIII.

Infantilis ætas omnium humidiſſima, ad tertium quartúmve annum protenſa. Hinc ad decimum pueritia. Inde ad 18. pubertas. Ad 25. adoleſcentia commune nomen.

Flori-

XXXIV.

Florida ſecunda ad 35. vel 40. annum excurrens juventus eſt, cujus propria eſt agilitas, venuſtas, ferocia. Hujus nullam agnoſcit autor partitionem.

XXXV.

Sequitur tertia, conſtans ætas, ſui ubiq; ſimilis, temperata, ad annum usq; 50.

XXXVI.

Quarta ad annum 65. ingraveſcens illa ætas ſive præcipitata, quæ prima eſt ſenectus, frigidum & ſiccum efficiens corpus, ſed frigidum minus.

XXXVII.

Poſtrema omnium, decrepita ætas vitæ terminum claudit, quæ & ultimum ſenium dici ſolet, autore Cœlio Rhodigino, frigidiſſima & maximè ſicca pumicis inſtar, ut cum Plauto loquamur, producta ad annum 100 & circiter.

Lib. 7. A. L. Cap. 19.
In Aulularia.

XXXVIII.

Sed Franciſcus Valeſius, Simplicius & Averrhoes primam faciunt ætatem pueritiam ad 14. annum, cum pueri incipiunt pubeſcere, unde & Ephebi dicti, in ſignificatione τῆς ἥβης, pubis. Galenus in tertiũ Aphoriſ. Hipoc. 27 Secundam pubertatem ad 25. annum, monente Hippocrate 5. Aphor. 7. Tertiam juventutem ſive florentem ætatem, ad 25. annum, Hippocrat. libr. 3. Prognoſt. Quartam conſiſtentem, inter juventutem mediam ad 50. annum Galenus in lib. 1. Aphoriſm. Hippoc. 13.

Lib. 1. cap. 8. medicar. & Philoſophicar. controverſiarum. Petrus Aponenſis, Conciliator dictus. p. 77.
Hieron. Cardanus p. 279.
Comment in Hippoc.

XXXIX.

Reliqua ſunt ſenectutis, quæ ad quatuor revocantur, conjungendis his duabus ultimis ætatibus; cum Galenus in tertium Aphoriſm. 31. ſcribat, duplices eſſe ſenes, conſiſtentes & ſeniores.

XL.

Nicolaus Leonicus Hippocratis Interpres ſenes à ſenioribus diſcriminans affirmat: *ſenes inter juvenes & ſeniores eſſe medios, ſeniores autem ultimæ ætati deſtinatos.*

XLI.

Non deſunt, qui ſex conſtituant ætatis gradus, inter quos principem locum obtinet facundiſſimus ille Pater Iohannes Chryſoſtomus accommodans ad ſex mundi ætates ſive γενὰς, ſecundùm oraculum Sibyllæ, ἕκτη ἐν γενεῇ καζαπαύσετε κόσμον ἀοιδῆς.

Benedict. Aretius p. 2. probl. Theologic. p. 93. In ſexto millenario finis erit mundi & IVDICIVM univerſale, Iohannes Hilten Monachus Iſenacenſis, & Paulus Irenicus lib. 3. exegeſeos Germaniæ. p. 117.

XLII.

Et S. Auguſtinus in libro contra Manichæos cap. 13. cum ſex hujus ſæculi ætates docet ſex diebus illis ſignificari, ut primordia generis humani ſint quaſi infantia ſæculi, ab Adamo usq; ad Noachum: ſecunda ætas pueritia, ab hoc ad Abrahamum, & ſic conſequenter. Et Epiſt. 110. idem autor gravitatem nominat ætatem quintam, poſtremam ſenectutem.

XLIII.

Et Proſper Aquitanicus, quem citat Rev. & Cl. vir Abr. Scultetus parte prima de promiſsionibus & prædictionibus Dei cap. 7. *Finis igitur diluvii*, inquit, *601. anno Noa terminatus finem mundi ſignificat*

poſt ſex, ut paulò ante dictum, *ætates ſæculi, & breve Antichriſti ſpatium.*

XLIV.

Idem voluerunt Aureolus ille Theophraſtus Paracelſus mundi miraculum, & Iohannes Hilten Ferrariâ-Thuringus.

XLV.

Sic Bonaventura in prologo breviloquii Theologici, non paucos nec viles Aſtrologos, quorum princeps eſt Ptolomæus, lib. 4. apoteleſmatum (quadripartitum nuncupant in ſcholis Mathematici) ſeptem ætates conficere, & ad ſeptem referre Planetas, dictitat; infantiam nimirū Lunæ, pueritiam Mercurio, adoleſcentiam Veneri, juventutem Soli, perfectam ætatem Marti, ſenectutem Iovi, decrepitam ætatem Saturno conferentur. nec non Iucrobius cap. 6. in ſomnium Scipionis, Videatur Malius Cenſorinus de die natali.

De quo illud fertur, referente Michaële Neandro p. 317. Catechef. Græcolat. Homo aut proficit aut deficit.

XLVI.

Hinc Fulgentius Carthaginienſis, ſicut & Higynus, memoran, t nuptiis Pelei & Thetidis Deos adfuiſſe omnes vocatos à Iove. Quæ quidem nuptiæ hominis procreationem innuunt, quòd ſcilicet vana ſuperſtitione deluſi Ethnici putarent, ſingulis in homine membris ac partibus præeſſe Deos, ut capiti Iovem, oculis Minervam, Iunonem brachiis, Neptunum pectori, cinctui Martem, renibus & inguini Venerem, Mercurium pedibus, autore Dromocrite in Phyſiologicis.

Lib. 3. Mithol.

Et Venus in vinis, ignis in igne furit.

Meletius de partibus corp. human. & Ioh. Eokelius de fabric. corporis humani p. 27.

XLVII.

Artemidorus lib. 5. Onirocritices ex Medicorum aliquorum ſententia, inquiens, *ſeptem comple-*

ſtitur generatio ſive ætas annos. Ex quo & Medici venam iis non ſecandam præcipiunt, qui duarum ſunt ætatum, hoc eſt, annorum quatuordecim, quod egeant etiam tum ſanguine, nec nimium ejus habeant.

XLVIII.

Nec ſilentio prætereundi ſunt verſus illi Græci Latina civitate donati à Gentiano Herveto Italo, qui extant in volumine Poëtarum Græcorum apud Henricum Stephanum, & Stobæum quoque num. 121. ex Clemente Alexandrino mutuùm ſumti:

Infans ſeptenos poſtquam compleverit annos,
Producti dentes vallus ut oris erunt.
Poſtquam ſeptem alios Deus huic conceſſerit annos,
Fit pubes, ſemenq; huic genitale datur.
Verùm ſeptem aliis poſtquam annis creverit ætas,
Denſa ſeges barba contegit orta genas.
Additus eſt illi cum ſeptenarius alter,
Vir tum virtutis fortia ſigna dabit.
Sed monet adveniens uxorem ducere quinctus,
Poſteritatis adhuc tum meminiſſe ſuæ.
Sollers ingenium, firma & prudentia ſexto eſt,
Stulta nec hunc deinceps facta videre juvat.
Septimus acceſſit cum ſeptenarius, atq;
Octavus, lingua pollet & ingenio.
Nono aliquid poſſunt; ſed iam minuuntur in illo
Vires, queis peragunt fortia facta viri.
Sed decimus cum alios ſeptem perfecerit annos,
Maturam mortem triſtia fata dabunt.

Aliam

XLIX.

Aliam Sequuntur Iuriſconſulti rationem, qui non tam ipſum naturæ curſum quàm civilem uſum penſitant. Apud eos enim eſt ætas infantilis ad 7. annum, tum pupillaris ad 12. in feminis producta, in maribus 14. tum pubes, in quam ætas Prætextata incurrit, quia uſq; ad 17. annum pueri ingenui prætexta induebantur, ſicut alibi monuimus in diſſertatione noſtra de Magiſtratibus p. 11. quam deinde in togam mutabant.

L.

Puberem ætatem excipit iuſta ætas, quæ anno 25. incoatur, Legitima dicta, ad capiendos Magiſtrat9 legibus apta. Sequebatur iuventus uſq; ad Senectutem, hoc eſt, 70. annum.

Andreas Tiraquel. num. 43 lege connubial Et Alberic. de Roſate in verbo ætas, quem locupletiorem edidit nuper I. C. Illuſtris Decianus.

LI.

Neq; omittam hoc loco tripartitam ſenectutis diviſionem à Galeno traditam libr. de conſervanda Valetudine cap. 12. primam crudam faciente, viridem aliis dictam, ſecundùm quam ὠμογέροντες incurvi Acherontici, teſte etiam Virgilio Aeneid. 6.

---- *Sed cruda Deo, viridisq; Senectus,*

quæ videlicet robuſta eſt, & ad conſtantem ætatem vergit τῶν δυναμένων πράττειν τὰ πολιτικά, qui poſſunt Rempublicam tractare.

LII.

Secundam circiter annum 60. quæ medium obtinet Senectutis gradum τὴν μέσην ἡλικίαν ἐχόντων τοῦ γήρατος, à qua dicuntur γέροντες.

LIII.

Tertiam decrepitam, ſecundùm quam nuncupantur πέμπελοι, quaſi jam de ponte deijciendi, &

ad loca ſenta ſitu, ut cum Virgilio loquamur, & funebrem pompam mittendi, capulares Latinis dicti, quod capulo ſive feretro loculóve mox efferendi ſint, τυμβογέροντες, βαθυγέροντες & ἐσχατογέροντες.

Camerar. in commentar. de partibus corp. humani p. 43.

LIV.

Conſectarii loco & hoc addendum ex Plinij lectione, augeri cor per ſingulos annos in homine, ac binas drachmas ponderis ad 50. annum accedere, ab eoq; detrahi tantumdem poſt exactum illud ſpatium. Et ideò non vivere hominem ultra 100. annum defectu cordis Ægyptij exiſtimant, qui quidem omnis humanæ ætatis curſum triplicem faciunt, creſcentem, conſiſtentem, & declinantem; aptiſſimè.

Αὐτοψία ipſa cordis incrementum & defectum obſervaſſe Matthiolum, narravit mihi in Vangionibus Cl. Medicus Balth. Guaſtus Italus, PolIater Cæſareomontanus.

LV.

Sed cultus ille Poëta nec degener Philoſophus Dantes optimam hominis vitæ conſtitutionem exſtruit & evincit annorum 34. curriculo abſoluto, quod & ipſe Servator θεάνθρωπος attigit, & mori ipſo vitæ anno elegit, ſicut Cæſar Baronius in annalibus ſacris docuit, cui ſuffragantur inter Orthodoxos Chriſtophorus Obenhinius, & Caſpar Ulricus in Oratione funebri Dorotheæ Hedvvigi Principiſſæ Anhaldinæ dicta.

LVI.

Tantum de vitæ humanæ gradibus ex probatiſſimorum autorum viridarijs deduxiſſe ſufficiat, aurem nobis vellente Cynthio, ne in molem excreſcat Diſcurſus præſens ingratam & tædioſam: βραχυλογίας quippe ſumus ſtudioſiſſimi, quantum in nobis fuit, peroſi μακρολογίαν, in docendo præſertim, quam tamen neſcio qui homines ἀῤῥωςίᾳ τοῦ νοῦ labo-

Laconicum dicendi genus. Aſiaticum dicendi & orandi genus, quo delectatus Eraſ. & Auguſtinus Niphus.

laborantes jam olim objectare exprobrando mihi non erubuerunt.

LVII.

In commendanda hominis extrema ætate tam multus eſt Tullius, ut nimius pænè videatur.

LVIII.

Itaq; cum Cato initio Dialogi de ſenectute dixiſſet, vehementer ſapientiam laudari & efferri præconijs ſuam, ſubjecit, eam laudem naturæ eſſe tribuendam, neq; enim putandum, cum cæteræ ætatis partes benè deſcriptæ ſint, extremum actum tanquam ab Inerti Poëta eſſe neglectum.

Franciſc. Maturantius & H. VVolfius in Catone p. 39.

LIX.

Deinde, cum de præmijs, quæ ſenes eſſent conſecuti, loqueretur: *quibus*, inquit, *qui ſplendidè uſi ſunt, ij mihi videntur vitæ fabulam peregiſſe, nec tanquam inexercitati hiſtriones in extremo actu corruiſſe.*

LX.

Fabulæ partibus ætatis partes prudentiſſimus ſenex confert, & eum, qui benè vitæ ſpatia percurrerit, cenſet quaſi exercitatum Hiſtrionem eam partem ſumma cum laude expreſſiſſe, quam natura dediſſet.

1. Vita hominis fabula, authoritate Ciceronis.
2. Vita Hiſtrionica, & homo ipſe Hiſtrio mundi, ſecundùm eundem.

LXI.

Eſſe porrò varias ac multiplices hujus vitæ fluxæ & mortalis conditiones ac ſortes, quaſi alicujus fabulæ diverſas ac diſſimiles inter ſe perſonas & actiones, eleganter Epictetus in Enchiridio cap. 23. declarat: *Recordare*, inquiens, *in fabula te Hiſtrionem eſſe, qualem Magiſter eligeret; ſive brevem, breviter; ſi longam, diu te Hiſtrionem futurum; ſi, ut mendicum referas, libuerit, ſi claudum, vel Principem, vel privatum, conare,*

conare, ut aptè imiteris; tuum enim eſt, quæ tibi attribuitur perſona, eam concinnè reddere, alienam verò eligere alterius. Planè Philoſophicè & Chriſtianè.

Vt ſementem feceris, ita metes. Qualis vita, talis & exitus plerumque eſſ ſolet, κακῆς ἀπ' ἀρχῆς κακὸν τέλος ἐκγίνεται. Omnia tunc bona ſunt clauſula quando bona eſt. vulgò dicitur, in fine videtur cujus toni.

g. Homo bulla.

LXII.

Et rurſus cap 59. ſubjungit hæc: *Si perſonam acceperis ſupra vires tuas, in eo ipſo fuiſti ineptus, omittens id quod explere poteras.*

LXIII.

Et Seneca Epiſt. 78. *quomodo fabula,* inquit, *ſic vita, non quam diu, ſed quam benè acta ſit, refert; nihil ad rem pertinet, quo loco deſinas; quocunq; voles, deſine; tantum bonam clauſulam impone.*

LXIV.

Fulgentius vitam hominum, ſicut cæteri autores, fabulæ comparavit, inquiens: *Vt fabulæ nec vera ſunt, nec veriſimilia; compari modo vita noſtra nec veritatis quidquam, nec certitudinis habet, niſi illud, quo certius nihil, hominem eſſe B V L L A M.*

LXV.

Diogenes in vita Zenonis ſapientem Hiſtrioni perito ſimilem eſſe tradit, quòd ſive Therſitæ, ſive Agamemnonis perſonam induerit, utramq; referat præclarè.

LXVI.

Teles apud Stobæum ſerm: 5. Sic exponit: *Vt bonum Hiſtrionem, quamcunq; ei perſonam dederit Poëta, eam neceſſe eſt aptè reddat: ſic virum bonum, quamcunq; ei ſors accommodaverit.*

LXVII.

Nam & ip[illegible], Bione auctore, *ut poëtica, nunc primi, nunc poſtremi actoris locum aſsignat, ſic ut alias regis attribuat, alias mendici; ne igitur velis, cum primus is actor,*

ctor, poſtremi locum invadere: ſecus enim indecorè facies; tu quidem rectè praes, ego verò pareo; & tu quidem multis, ego verò unius tantum pædagogus ſum; & tu quidem cum ſis affluentiſsimus, liberaliter da; ego verò cum fiducia à te accipio, non cadens animo, non me abiiciens, neq; de mea ſorte conquerens. Et tu rectè uteris multis, paucis ego: neq; enim alimur ſumtu magno, nec magnum capimus ex ſumtuoſis fructum: parvo ac vili modeſtè utere, ac temperatè.

4. Vita humana carnificina ſchol ſtrea & piſtrinũ vide pædiologiã noſtram preſſam hactenus ſed non oppreſſam planè p. 19.

LXVIII.

Stobæus ſerm. de paupertate 95. κατὰ προσωποποιΐαν introducit Socratem ita cum Archelao diſſerentem. *Si mea mihi non ſufficit facultas, ipſi ego ſufficio, ſic & ipſa mihi; demonſtrans hoc exemplo Hiſtrionum. An non vides expreſſam à Polo Hiſtrione Oedipodis Tyranni perſonam non minus concinnè, quam eiuſdem in Colono apud Sophoclem exulis ac mendici? neq; verò generoſus vir Polo erit deterior, ita ut impoſitam ſibi à Numine perſonam, nequeat aptè referre, aut Vlyſſem imitari, licet pannoſum, nihilominus tamen inter cæteros eminentiſſimum, cum fuiſſet antea purpuratus.*

Pacuvius: Iſtã fortunam cõqueri licet, emendare minimè. Tales Græcis ſunt μεμψίμοιροι, queruli.

Natura medicis gaudet. Et modicis rebus longius ævum eſt, & ad panẽ & aquam natura nihil præterea deſiderat, ſecundum Senecam.

LXIX.

Petronius in Satyricis de falſis amicis conqueſtus lamentationem ſuam his verſibus claudit, quibus vitam Comædiam eſſe declarat.

Grex agit in ſcenam Mimum, Pater ille vocatur,
Filius hic, nomen divitis ille tenet.
Mox mihi ridendas incluſit pagina partes,
Vera redit facies, diſſimulata perit.

5. Vita hominis eſt ſplendida miſeria, mel dans primùm, amarũ poſtea ad ſatietatem oggerens, ſecundum Plautũ. Talis eſt & vita aulica.

LXX.

Et Palladas argutiſsimus Epigrammatum ſcriptor libro 1. titulo 13. de vita hac caduca ita luſit:

6. Vita Comœdia & ſpeculū actionum noſtrarū, in quod frequenter intueri nos operæ preciū duxit Muſonius apud Gellium.

Vita quid eſt? jocus & ludus: vel ludere diſce
Curis ſepoſitis, vel cruciare miſer.

LXXI.

Agathias Poëta Græcus eodem libro titulo 83. ludum fortunæ vitam hominum pronunciavit: *Magna tibi agenda gratia, ô fortuna illuſtrium*
Auctor actionum, quòd pariter illudas omnibus.

LXXII.

7. Vita jocus & ludus.

8. Vita ludibriū fortunæ.

Sic Livius lib. 30. vitam noſtram ludibrium fortunæ, imitatione Græcorum dixit, introducta perſona Hannibalis cum Scipione loquentis.

LXXIII.

9. Vita ludicrum & delicium.

De Rep. lib. 10.

Sic Ariſtoteles hominem inter cætera fortunæ ludicrum ſive delicium, τύχης παίγνιον & δέλεαρ appellat.

LXXIV.

Act. 4. ſc. 1.

In conſolatione ad Appolloniam.

10. Vita alea & teſſeræ.

Plato, Terentius in Adelph. & Plutarchus hominis curſum & actiones ludo teſſerarum ſive aleæ compararunt. *Ita vita eſt hominum, quaſi cum ludas teſſeris;* ſi illud, quod maximè opus eſt jactu, non cadit, illud quod cecidit forte, id arte ut corrigas.

LXXV.

Lib. 5. Hiſtor. p. 119.

Scala aulica, de qua pluribus agit Æneas Sylvius.

Sapienter item Polybius converſionem rerum humanarum hac præclara comparatione deſcribit, ſuffragiorum videlicet, quæ in publicis conſiliis dari ſolent, cum de Apelle ſermonem habet Ptolomæi Regis Ephoro Cum, inquit, *ingredi ſtatim ad Regem, uti conſueverat, vellet, janitor quidem eum exſpectare juſſit, occupatum eſſe Regem in præſentia dicens. Apelles novitatë Regis admiratus, hæſitabundus aliquamdiu conſtitit, mox mæſtus, cõſilii inops inde profectus eſt, reliquis omnibus ab eo repentè diſcedentibus.*

LXXVI.

Quam

Quàm pauca temporis intervalla, proh dolor, homines in excelſo faſtigio collocant, & eos rurſus ad extremam miſeriam, & calamitatem redigunt, atq; eos maximè, qui in aulis Principum vitam agunt.

LXXVII.

Hi enim ſimiles ſunt ſuffragiis, quæ in publicis conſiliis dari ſolent. Nam ut illic, pro eorum qui cõſulunt voluntate, quæ modo ænea fuerunt, mox aurea dantur: ita qui regias Principum ſequuntur, pro Regis voluntate nunc beati, mox miſeri fiunt. *11. Vita calculorum computatoriorũ inſtar.*

LXXVIII.

Exclamemus ergo cum Laberio Mimographo: *Summum ad gradum claritatis cum veneris, conſiſtes ægrè. Cecidi ego, cadent & alii. Laus hæc publica eſt.* *12. Vita aſcenſus & deſcenſus.*

LXXIX.

Euripides miſeriam vitæ humanæ exprimere volens facit eam athleticam: *Certamen eſt*, inquit, *vita mortalium, in qua nunc his benè res cadunt, nunc illis.* *In Supplicib. 13. Vita certamen, lucta & agonia.*

LXXX.

Lucianus ingenioſè ludens vitam theatro comparavit, in quo ferè fit ut peſsimi quiq; honoratiore loco ſedeant. Sic Pythagoras mercatui & conventui ſimilem fecit vitam humanam. *In Dial. cui Ludo nomen. 14. Vita theatrum.*

LXXXI.

Menander apud Stobæum ſerm. 120. politiſsimis verſibus rem ipſam venuſtè declarat, *Mercatum eſſe puta quendam, de quo eſt ſermo, & tempus, & quidem popularem, ac ſolemnem, in quo turba, concio, fures, aleatores, equiſones: ſi primus diſceſſeris, divertes meliore viatico, nemini infenſus diſceſſeris: qui verò plus traxerit mora, feſſus periit miſera ſenectute perfun-* *15. Vita mercatus & panegyris.*

ctus, ac ſæpè egens, vexatus in hoſtes incidit, in inſidias, aut unde infeliſi abreptus fato. Et Petronius breviuſculè: *quod hodie non eſt, cras erit: ſic vita truditur.*

LXXXII.

16. Vita rota fortunæ. Qui rotæ ſimilem vitam eſſe dixerunt, eodem reſpectu illius inconſtantiam exprimere deſignando voluerunt. Conſtat autem ex monumentis Gentilium, fortunæ ſimulacrum in globo ſive rota ſtantis hoc ſignificare, quaſi omnia ſurſum deorſum volventis, & de omnibus atq; in omnibus ludentis, cùm proſperis tum adverſis.

17. Fortuna globus.

LXXXIII.

18. Vita Tragœdia. Omninò autem Tragœdia eſt vita noſtra, aut Comœdia, potius aut utrũq;: Tragœdia, quòd quæ nobis bona vitam beare videntur, ea tandẽ ſempiternæ ſint infelicitati: Comœdia, quod qui vagientes & lugentes in hanc quaſi ſcenam introimus, ſæpè etiam egredimur læti & geſtientes. Verius utrumq; quod neq; ſemper triſtes ſumus, neque ſemper hilariter vivimus: ſecunda cum adverſis, cum ſecundis adverſa in omni ætate, conditione, gradu, vitæ deniq; genere miſcentur.

LXXXIV.

19. Vita riſus & fletus, gaudii & triſtitiæ mater. Tomo. 3. Epigram. Latin. In hanc ſcenam Democriti perſona & Heracliti admittenda, illius ad ridendum, hujus ad flendum nos invitantis (neq; his duobus vacare unquam poteſt hæc vita.) Utriusq; mores graphicè ex Græco Epigrammate Nicoſtrati depinxit Leodegarius à Quercu.

Deſle hominum vitam plusquam, Heraclite ---
In lachrymas totos ſolve agè nunc oculos.

Concute

Concute maiori ſplenem, Democrite riſu,
Et toto reſonans ore cachinnus hiet.
Vita fuit nunquam poſt condita ſæcula mundi
Et riſu pariter dignior & lachrymis.

Eadem fabula agitur in mũdo, mutatis duntaxat larvis & perſonis.

LXXXV.

Nec παρ' ἔπος, ſecundum proverbium fuerit, ſi Epigramma Joh. Antonii Campani priori accenſuerimus, in quo τύχης ἑτερόκλιτος ὁρμὴ venuſtè deſcribitur:

Impetus huc & illuc deferens.

Dat fortuna manus, quibus eſt nocitura ſecundas;
Ridet, ut alliciat, porrigit, ut capiat.

LXXXVI.

Quibus Plinium adjunge ſic loquentem. *Habet has vices conditio mortalium, ut adverſa ex ſecundis, ex adverſis ſecunda naſcat; occultat utrorumq; ſemina Deus, & plerumq; bonorum malorumq; cauſa ſub diverſa ſpecie latent.*

In Panegyrico Trajani.

20. Vita adverſitatis & felicitatis trutina.

LXXXVII.

Ita pro fortuna Vortunam recentiores dixerunt Romani, quæ Pindaro eſt φερέπολις. Adſtipulatur & Ovidius hiſce verſibus.

Fortuna arbitriis tempus diſpenſat ubiq;:
Illa rapit iuvenes, ſuſtulit illa ſenes.
Quaq; ruit, furibunda ruit, totumq; per orbem
Fulminat, & cæcis cæca triumphat equis.

LXXXVIII.

Hinc Boëthius: *Hæc noſtra vis eſt, hunc continuum ludum ludimus, rotam volubili orbe verſamus, infima ſummis, ſumma infimis mutare gaudemus. Aſcende, ſi placet, ſed ea lege, ne uti cum ludicri mei ratio poſcet, deſcendere injuriam putes.*

Lib. 2. de conſolat. Philoſophiæ proſa 2.

LXXXIX.

Quid immoror diutius in re adeò manifeſta quæ inter manus verſatur noſtras? *Vita ſane noſtra nihil aliud eſt* ſecundum Theophilum, *quam Mimus*, ſicut exempla hinc inde repræſentata evincunt.

11. Vita Mimus.

XC.

Inter alia autem Sultani Agarenorum Principis in Africa, Gallorum Regis in Campania captivi, hiſtoria vitæ & fortunæ lubricæ conditionem ſignate exprimens prætereunda non eſt, ſicut & Baſilii Macedonis Imperatoris Conſtantinopolitani.

XCI.

Totum Sultanus biennium nunquam ridere viſus fuerat. Præmium Galliæ Rex policetur ei, à quo primum nuncietur riſiſſe: riſiſſe quidam nunciat, & teſtes viſus adhibet; riſus cauſam ex eo ad ſe accerſito rogat Rex. Sultanus reſpondet: Rotas currus forte fortuna prætereuntes vidi, atq; animadverti, quæ ima erat loco, attolli, quæ ſublimis & elata, deprimi; & hanc eſſe vitæ ac felicitatis humanæ inconſtantis ac variæ imaginem cogitavi, ſimulq; riſi, quòd rei fluxæ atq; caducæ cauſa tantopere efferamur, & mecum ipſe reputavi, fieri aliquando poſſe, ut qui ſervus abjectè & humiliter nunc vivo, futurus deinceps liber ſim, atq; honoratus. Orarioni reſpondit eventus. Rex enim ſapienti hominis reſponſo delectatus liberum eſſe juſſit, & menſæ ſocium. At ille, ut Afer, ita vafer, Africano plane commento Capuam atque Beneventum Regi ademit, atq; in patriam & ad imperium ſuum ſalvus revertit.

Abrum-

XCII.

Abrumpo nunc telam inſtitutam, properans ad tertium diſcurſus noſtri membrum, ſecuturus ſumma ſaltem faſtigia rerum, remittendo lectorem candidum ad ſedulam & indefeſſam lectionem autorum Theatri vitæ humanæ, quod monimentis ſuis celebrarunt Theodorus Zvvingerus & Rodericus Epiſcopus, cæteris recenſendis de induſtria nunc ſuperſedens, cum & argumentum Orationis noſtræ in Academia patria, quæ Lipſiæ eſt, pronunciatæ, idem doceat, dictaq; inſigniora ad calcẽ rejecta pro materia ſint uberrima: nequid dicam de programmate, quo juſta funebria perſolvi ante annos novẽ viro integerrimo Friderico Groſsio Bibliopolæ, & altero illo Bartholomæi Schröteri in Illuſtri Soraborum Gymnaſio Mathematum Profeſſoris ordinarii, quo parentatum eſt & juſta perſoluta viro nunquam ſatis laudatæ memoriæ Gregorio Berſmano, &c.

XCIII.

Vitam autem hanc noſtram, quam ἀθλίως degimus, de ſententia Euripidis, maximis laboribus aſſiduisq; ærumnis trahi, docet experientia, & præpotentis Dei exſecratio Gen. 3 commemorata.

XCIV.

De hac veterum extant teſtimonia quamplurima, ut Epicharmi, ut Xenophontis, ut Orphei, ut Virgilii, ut Horatii, ut Heſidi, &c.

XCV.

Digna hoc loco eſt conſideratione Philoſophi cujusdam vox: *Nihil eſt homini proprium: terra enim reddenda terræ, & animus procreatori ſuo.* Sic apud Terentium dicitur: *Nihilne eſt proprium cuiquam?*

Sane

XCVI.

Sanè vitam eſſe mutuam, non propriam, de obitu Germanici Druſi Ovidius cecinit:

Vita data eſt utenda, data eſt ſine fœnore nobis
Mutua, nec certa perſolvenda die.

XCVII.

Et Cicero in Tuſcul. *Natura dedit uſuram vitæ, tanquam pecuniæ, nulla præſtituta die*, contra ſententiam J. C. diem pro homine interpellare ſtatuentium.

CXVIII.

Et Actius Poëta, *Nulli vita propria in vita eſt, & nemo eſt mortalium*, ſecundum Euripidem, *qui ſciat ſe craſtinum diem victurum. Res enim noſtras celeri citatas turbine verſat Deus*, ut Senecæ verbis huc adcommodatis utamur.

XCIX.

Quod argumentum egregiè à noſtris Theologis paſsim explicatum meminimus etiam nuper admodum in Homilia funebri in immaturum & luctuoſum obitum viri cum Reverendi tum Doctiſsimi Martini Zehlii Diaconi, Synergi in Divinis apud Serveſtanos omnium bonorum votis deſideratiſsimi, ad populum pronunciata a Reverenda Dignitate, clariſsima doctrina & virtute viro eximio Dn. M. Caſparo Ulrico Eccleſiæ illius antiſtite, &c.

C.

Ab his veriſsimè docetur, vitam nobis mutuò datam, reddendam aliquando cum fenore, hoc eſt, ut Salutis noſtræ autor & Parens Chriſtus Matth. 25. explanavit, exigendum talenti ſervo præſtiti

v. 14. 15. & ſeqq.

præſtiti uſum, ſub perſona hominis peregre profecti, ac depoſitum cum fructu repetentis. Ubi hanc explicationem addit præſtantiſs. noſtro ſeculo Theologus Amandus Polanus, poſtrema N. T. editione: Donorum à Chriſto traditorum ſingulis tandem reddenda eſt ratio.

FINIS.

Σὺν παλάμῃ.

ORATIO ACADEMICA LIPSIÆ PRONUNCIATA A. D. 24. MARTII ANNO CHRISTIANO M. D. LXXXIX. in collegii majoris auditorio ſuperiori Medico.

NOn ſum neſcius, viri pietate Reverendi, autoritate Ampliſſimi, dignitate Clariſſimi, doctrinâ & virtute Spectati Ornatiſſimiq;: & Vos liberalium artium, imprimisq; τῆς ὕλης ἰατρικῆς Studioſi adoleſcentes, Non ſum, inquam, neſcius, & quid conſuetudo ferat ſcholæ hujus, & quod ad dicendum argumentum mihi imponant leges majorum noſtrum, Virorum omni virtutis ac ſapientiæ laude præſtantium. Itaq; etſi haudquaquam mihi anxiè ac ſolicitè diſpiciendum erat, quibus de rebus in hoc honoratiſſimo conſeſſu verba facerem; dictante mihi argumentum, & recepto jam multis retrò annis Collegii hujus more & inſtitutis veterum: tamen non mediocrem mihi hæc cogitatio dubitationem attulit, conſuetudinis nè magis & legum in hac quaſi concione, an aurium & attentionis veſtræ rationem haberem. Et ſanè viſum mihi eſt diu quærenti atq; animum huc illuc verſanti, magis eſſe conſultum, afferre aliquid, quod aures & animi veſtri, jucundè ac ſine faſtidio accipe-

acciperent, arriperent: quàm cum ſatietate atq; adeò nauſeâ auſcultantium, ſecundum vetus verbum crambem recoctã apponere, obtrudere: ἧς θανασιμώτερον οὐδὲν ἄλλο. Ioh. Lang. in Ep. medicinal. p. 475. Quamobrem cum more & inſtituto veteri laudabiliq́, de præſentia ac dignitate artis Medicę non modò ab aliis prolixè ſuperioribus annis, ſed etiam nuper admodum & à Spectatiſs. Collegii Medici Decano Dn. Scheibio, at quanto illo viro? in conferendis tum nobis primę laureę inſignibus; & verò à Competitore meo longè cariſſ: Dn. Chriſtophoro Meurero, Mathematum hoc tempore in Alma hac Academia Profeſſore ordinario, cęterisq; hujus generis argumenta pro re nata (quod dicitur) veſtibulo prælectionum, diffusè, copiosè atq; diſertè enarrando pertractata ſint; hiſce denuò percenſendis iterandisq́, datâ operâ & de induſtriâ ſuperſedebimus.

Eſt autem in vitâ humanâ ſic comparatum, ut ſatietatẽ afferat ſimilitudo, delectet autem varietas, & viciſſitudo rerum atq; commutatio. Quod non tam in eſculentis, quę per os ac fauces in ventrem ingeruntur, uſu venire videas quam in animi cibo, qui per aures vehiculo quodam ſermonis & orationis defertur ad mentem, quę paſtu illius fruitur aliturq;. Huius ergò delectationis ac voluptatis veſtræ reſpectu adducto atq; commoto, quod pace veſtrâ mihi liceat, viſum eſt, haud prorſus à munere & propoſito noſtro alienum, ex hoc loco, in quem primùm nunc autoritate publicâ Collegij laudatiſſimi facultatis Medicę conſcendimus, non nihil verborum facere de Proœmio Aphoriſmorum Hippocratis, non quidem ſingula illius dicta excutiendo, ſed in genere commentando quędam differendoq́, quantum & temporis anguſtia & æquanimitas veſtra pati videbuntur. Quę dum à me fient conciſè, & ut conſuetudo mea fert, abſq; fuco aliquo & lenocinio verborum & ſententiarum, quęſo aures veſtras & animos mihi paulu-

lum

lum commodate, cum attentione auſcultantes ad ea, quæ & de Proœmio iſto, & inſtituti mei ratione, hoc tempore enarrando ad legendum mihi propoſita, quantum quidem temporis intercapedo feret, paucis memoraturus ſum. Qua in parte ſi benignos vos mihi & benevolos præbebitis, operam enixè dabo atq; efficiam, ut ne vos jacturæ temporis hujus, quod me audiendo impenderitis, pœnitere poſſit.

Hippocrates, quem cuncti Medicinæ parentem verè perhibere poſſumus, cum artem Medicam ab alijs diffusè traditam, Aphoriſmis quaſi Regulis quibusdam comprehendiſſet, ut his inſtructi, & totum artis hujus negotium tenerent exactius, & ad functiones eiusdem obeundas accederent paratiores, in veſtibulo ac primo quaſi limine operis Aphoriſtici, doctrinæ hujus utilitatem ac neceſſitatem lectoribus inſinuaturus, & ſimul officij ſui Medicum admoniturus, ſic infit:

Vita brevis, ars verò longa, occaſio præceps, experimentum periculoſum, judicium difficile. *Oportet autem non ſolum ſeipſum præſtare opportuna facientem, ſed & ægrum, & aſſidentes, & externa.*

O divinam vocem, quam à Medicorum Deo profectam eſſe cur credatur: ô ver veriorem ſenis illius Coi ſermonem, quem nihil falſi dixiſſe unquam, poſt ipſum Medicorum facilè Princeps Galenus affirmare non erubuit. Quid autem ſibi aliud virum ſapientiſſimum voluiſſe exiſtimandum eſt, quàm hoc innuere, eorum, qui ad curandos ægrotos accedunt, alios doctrinâ inſtructos venire, alios ſine doctrina ad rem aggredi. Qui igitur abſq; doctrinâ & experimenti præſidio muniti accedunt, vel etiã ratione armati ac judicio quodam naturali, eos Hippocrates rem aggredi cenſet arduam imprimis atq; difficilem: & quia periculùm illud in vitâ hominis fieri grave eſt: & verò quia judicium abſq; doctrinâ parum ſibi conſtat.

Medicũ oportet utroq; crure incedere, quorum illud doctrina alterum experientia eſt.

Experimentum etiam periculoſum Galenus probat, demonſtrando id à re Medicinæ ſcientiæ ſubiecta. Non enim lateres, *inquit*, non lutum, ligna, lapides, tegulæ, coria artis Medicinæ, ſicut & cæterarum materia ſunt, in quibus periculum induſtriæ ſuæ facere & exercere multis modis impunè licet illi qui ſe circa materiam exercitet, & artis theoremata meditetur: id quod in lignis carpentarii, in coriis coriarij factitant. *Ligna ſiquidem & coria malè tractantem corrumpere, nullum eſt periculum. At in corpore illa experiri humano, quæ experientia comprobata non ſunt, haud vacat periculo, propterea quod ἀπειρία ad totius animalis interitum terminetur. Cuius quidem quanta ſit iactura, & Achilles apud Homerum graviſſimè declarat verſibus his, quorum in numeros Latinos relatos aliquot & huic negotio accommodatos recitabimus.*

Nulla niſi vitæ res anteferenda videtur,
Quamlibet excellens, non ipſa opulentia Trojæ
Ingentis, &c. *Et iterum*:
Sola poteſt nunquam mortali vita redire,
Hæc amiſſa ſemel non eſt reparabilis ulli.

Et apud Euripidem Alceſtis, act. 2. Non par (*inquiens*) pretium animæ eſt ullum potc. ψυχῆς γὰρ οὐδέν ἐστι τιμιώτερον. *Quemadmodum autem attentando experir aliquid in corpore humano plena diſcriminis ac periculi res eſt: ita judicium, quæ eſt ratio ipſa, & quæ facienda omittendaue dijudicans atq; diſcernens, niſi artis norma gubernetur ac dirigatur, admodum eſt difficile, præſertim in Medicina ſcientia, quæ magna ex parte eſt* στοχαστική. *Unde enim tam diſcrepantes extiterunt opiniones, totq; pugnantes ſententiæ inter artis illius Magiſtros & artifices*

preſtan-

præſtantiſſimos? niſi quod veritatis indagatio, quam iudicium hoc ſibi proponit, minimè eſt obvia, cum tamen non poſſit niſi unum eſſe verum, ſecundùm veterem verſiculum, ab Henr. Steph. relatum : ἐσθλὸν μὲν γὰρ ἁπλῶς, παντα-δαπῶς δὲ κακόν.

At inquies, imò non ratio, quod tu vis, judicium perhibere debet, ſed, quod & Empiricis ita viſum Galenus refert, auxiliorum, quæ experientiæ adminiculo, atq; ope adminiſtra inventa fuere, diiudicatio. Nam præclarè Manilius cecinit :

Per varios uſus artem experientia fecit
Exemplo monſtrante viam.

Verùm ut hoc illis demus, nihilo tamen magis illa ipſa remediorum diiudicatio facilis eſt, atq; exploratu non impedita intelligentiæq; expoſita, præſertim ubi compluribus ex morbo laboranti alicui remediis, quod illorum potiſſimum incommodo valetudinis afflicto ſaluti fuerit, pronunciandum eſt.

Nam ſi ita fortè ceciderit, ut qui in lecto eſt, commodè dormiverit, deinde unguento delibutus ſit, poſt Emplaſtrum adhibuerit, hinc inteſtinorum lavamento alvum proluerit, vel ſpontanea ventris dejectione perpurgatus ſit, ad extremum hos vel illos cibos ſumſerit; quibus omnibus ita peractis vel meliuſculè vel deterius ægrotans habere cœperit : cuius quæſo tantum eſt iudicii acumen atq; ingenii ſolertia, ut quod iſtorum omnium vel ſaluti ægro fuerit, vel damnum dederit, liquidò affirmare poſſit? Quæ cum ita ſe habeant, inde certè apparet, non inſtructum doctrina ad medendum accedere aliquem haud eſſe conſultum. Sed de his hactenus. Nunc de illis quoq;, qui doctrina firmati morbo decumbentes inviſunt, quod erat alterum Medicorum genus à nobis propoſitum, dicendum eſt. Qui igitur de hoc altero genere ſunt, eos Hippocrates vel

ſtudio

ſtudio repentino atq; extemporanea arte ſibi parata, vel præceptis prolixiùs tradita, vel deniq; Aphoriſmis quibusdam comprehenſa inſtructos eſſe oportere docet. Studio repentino artem ſibi parare cognoſcendo morbi ipſius naturam atq; originem, adhibendoq; eidem medicamina convenientia, minimè eſt in promtu, propter occaſionem præcipitem in morbis præſertim acutis, in quibus ſæpenumero inter ipſos ſtudii noſtri conatus vel principium morbi, cui maximè reſiſtendum eſt, præteribit, vel qui curatur, vitam cum morte commutabit. Scimus autem de Hippocratis præcepto, incoantibus morbis, ſi quid movendum videtur, moveri debere: cum verò conſiſtunt ac vigent, melius eſſe quietem interponere.

Neq; illud nos præterit, quemadmodum ab eodem proditum eſt, in acutis morbis raro, & in principiis medicinam adhibendam eſſe, eamq; magna cum iudicii accuratione atq; prudentiæ ſolertia. De quibus certè manifeſtum fit, ſtudium extemporaneum ad artem dextrè faciendam minimè ſatis facere. Sed neq; longo ſtudio ac præceptis artem ſibi comparare operæ pretium fuerit, cum propter vitæ brevitatem, tum artis ipſius magnitudinem, quibus uſu venire ſolet ut vel integram adipiſci nequeas, vel extrema jam ſenectute adepta incommodè facere non poſſis.

Reliquum nunc eſt, ut de vitæ brevitate & artis magnitudine, altero orationis noſtræ capite, diſſeramq, de quo ut porrò me dicentem, ſicut coepiſtis benignè audiatis, quo par eſt ad unumquemq; veſtrum ſtudio atq; contentione oro atq; obſecro.

Atq; ut de vita brevitate, prius aliquid verborum faciamus, quàm artis huius magnitudinem metiamur, de illa ſanè eruditè Ariſtoteles diſputat, in eo libello, quem περὶ μακρ. καὶ βραχυβιότητ@ *inſcripſit: cuius hæc de re diquiſi-*

quiſitionem commendamus adoleſcentibus, quotquot veræ & antiquæ illius, non rancidæ putidæq; Philoſophiæ ſunt amantes, quales certè eſſe debent medicinæ ſtudioſi.

Etſi autem Ariſtotelis de hac quæſtione rationes exquiſitæ ſunt, tamen eas in præſentia excutere, noſtri inſtituti non eſt, ſiquidem non in Philoſophica ſchola nunc, ſed Medica profitemur.

Medicorum igitur rationes ſi paulò accuratiùs exigamus, quæ obſecrò nobis vitæ largioris ſpes afferri poteſt, contemplantibus primò corporeæ molis naturam, quæ ex arterijs, venis, nervis ac oſſibus ac prætereà carne eſt compoſita? Quæ autem ejusmodi eſt, ea, teſte Galeno, corruptionis expers eſſe nullo modo poteſt? Quod enim horum omnium non eſt genitum? quod verò eorum, quæ genita ſunt, morti non eſt obnoxium? Non ignotum eſt vobis Græcorum proverbium πᾶν τὸ γενόμενον καταθανεῖν ὀφείλεται, *id eſt, ut Caſsius Hemina vetus autor interpretando expoſuit:* Quæ nata ſunt, ea denaſci ajunt. *Hæc igitur una eſt brevitatis vitæ humanæ cauſa, de qua plura referre nos non ſinit temporis, in quam coniecti ſumus, anguſtia. Iam ſi ea conſideremus, quæ corpus noſtrum immutant, ac tandem peſſundant, quàm, Deum immortalem, nobis vitæ conſtantis moram polliceri poſſumus? annuente Galeno 1. de tuend. Sanitate cap. 2. Sive enim cauſarum corpus noſtrum immutantium, corrumpentiumq; momenta ad animum revocemus, quæ nobiſcum genitæ ſunt, atq; ex ipſis generationis principijs, velut ab radice quadam pullulant, Internæ Medicis nuncupatæ; ſive quæ extrinſecus afferuntur atq; irrumpunt: quæ iccirco cauſarum externarum notione iudicantur, apud noſmetipſos exigamus, quæ hinc nobis vitæ diuturnæ ſpes; quid autem diuturnæ, inquam,*

 immò

immò ſaltem fragilis ac caduca, poteſt effulgere? An non ipſa partium corporis ſingularum ſiccitas, quæ in ſtirpibus ἄναυσις Græcis dicitur, in animalibus ſenium eſt, cum ipſo ætatis progreſſu nos ad vitæ exitum perducit? Eſt igitur hæc una omni corpori, quod in lucem editum eſt, corruptelæ atq; interitus connata neceſſitas. Quis verò eſt, qui, ſi artis noſtræ initia primoribus (ut ajunt) labiis guſtavit, non exploratum habeat, naturam corporis humani in perpetua eſſe fluxione? quam nimirum ciet vis caloris inſiti, qui humidi primogenei pabulo dum ſeipſum conſervare ac ſuſtentare deſiderat, illud paulatim abſumendo ſeipſum depaſcitur atq; enecat, & quem ſui occaſum atq; obitum non intendit, eum alendo ſe conficit. Atq; hoc incommodum nullum eorum, quæ genita ſunt, ulla ſtudii diligentia, ulla curæ ſolertia, ulla conſilii dexteritate declinare atq; effugere poteſt. Cui quidem malo ut remedium aliquod pararet natura, quæ vitam hominis quàm longiſſimè prorogare cupit atq; extendere, quod de mole corporis perpetuo ipſius fluore decedit atq; deminuitur, inſtituit id nutrimentis indies inſtaurare ac reſtituere: cibo quidem reſarciens id, quod de ſicciore compage defluxit: potione verò, quod portioni deceſſit humidiori; reſpiratu deniq; & arteriarum pulſu, quod de ignea aëriaq; detractum eſt materia: ſiquidem iiſdem alimur atq; nutrimur, quibus corporis ipſius conflata eſt natura, ejusq; integritas conſtat ac perfectio. Verum-enim-verò ſicut aqua, quæ vino affunditur, nunquam in illius naturam prorſus abit ac commigrat: ita nec alimentũ, quod aſſumimus, ejus quod abſumtum eſt, naturam planè induit. Quò fit, ut non modò humidum primogenium indies minuatur, ſed etiam excrementa in corpore accumulentur, propter caloris vim remiſſam ac languidam, qui poſt ætatis vigorem imbecillior eſt.

eſt, minuſq; efficax ad convertendum nutrimentum in corporis, quod ali debet, naturam. Hæ igitur ſunt res, quæ nobis inſitæ, neceſſitate quadam implacabili & inexpugnabili unicuiq; noſtrûm ſupremum vitæ diem accelerant, faciuntq; ut naſcentes moriamur, finiſq; ab origine pendeat, autore Manilio in Aſtronomicis. Quid autem porrò de extrinſecus incidentibus dicam, quæ corruptionis & interitus noſtri cauſam præbent, contundendo, divellendo, vulnerando, aut aliquem articulum loco movendo? Quæ etſi illa quidem non neceſſariò corpori noſtro experiunda ſint, eaq; prudentiâ & circumſpectione declinari poſſint tamen cùm omnibus fortunæ telis propoſita ſit vita noſtra, caſuſq; non in malis tantum, ſed etiam in bonis dominetur, videmus quantum in diſcrimen conjecti ſimus, quamq; fallax hominum ſpes ſit, longam ætatem ſibi promittentiũ. Atqui non illæ tantum cauſarum extrinſecus irrumpentium notione veniunt, ſed ut Galenus ſcribit, eſt illarum genus quoddam, quod à corpore ſeparari non poteſt, quodque illi perpetuò adhæret, qui eſt aër ipſe ambiens, & ſpiritus quem ducimus. Qui circumfuſus vel calefaciendo ſupra modum nos, vel nimio frigore corpus quatiendo, vel ſiccum vel humectum efficiendo, valetudinem affligit, mortemq; neceſſariò adſciſcit. Ex hoc ordine ſunt quæ in ſcholis res non naturales appellantur, non etiam nullis cauſæ immutatrices nuncupantur, quòd, niſi commodè & rectè eas uſurpemus, neceſſariam corpori mutationem afferant, & ſanitatem ac naturam hominis deſtruant. Quam facilis autem lapſus eſt vel in cibo & potu, vel motu & quiete, cùm univerſi corporis, tum ſingularum ejus partium? Quàm prona eſt ad peccandum occaſio, vel in ſomno & vigiliâ, vel in excretione & retentione, vel in animi pathematis? Hæ enim ſunt res non naturales. De quibus quantum ad dicendum æquor ſeſe aperiat, facilius eſt vobis ac magis in promtu oculis

1. De tuend. ſanit. c. 4.

metiri,

metiri, quàm nobis orationis curſu conſequi. Itaq; vela contraho, non enim mihi abutendum eſt æquanimitate & patientiâ veſtrâ. Mitto nunc ſciens tertium illud genus earum rerum, quæ corpori noſtro adverſando & naturã eius deſtruendo in cauſa ſunt, ut brevis ſit vita noſtra, nosq; ipſi, quod Comicorum lepidiſſimus vere dixit, natura ſimus ἀμαυρόβιοι, φύλλων γενεᾷ προσόμοιοι, ἐφημέριοι, εἰκελόνειροι.

Homer. & Ariſtoph: In hoc numero cum alii præter naturam affectus (ſic enim Galenus res illas appellat. 2. methodi medendi cap.3. Et de ſymptom. cauſis c. 3.) nobis occurrunt, tum morborum illi inundant fluctus, qui perpetuis incurſionibus, tanquam tempeſtatibus & procellis quibuſdam, nunc totum corpus, nunc ſingulas eius partes laceſſunt ac valetudinem graviter affligunt: Et verè, non vivere, ſed valere vita eſt, ſecundum Martialis verſiculum. Sed illorum catalogum in præſentia quaſi contexere, non unius horulæ, ſed ne diei quidem labor eſt. Quæ igitur res vitam nobis poteſt polliceri longiorem, cuius fontem nunc ſiccitas exhaurit, nunc calor lambit, nunc excrementorum copia oblimat, nunc aër inficit, nunc morbus obruit? Vidit hoc naturæ ſingularis perſpicacitas atq; mirifica ſolertia, quæ cum opificio ſuo immortalitatem, ad quam veluti ad ſummam perfectionem bonumq; præſtantiſſimum, quæcunq; genita ſunt, aſpirant, eſſeq; perpetuò & vivere deſiderant ſingulorum corporum conſervatione ac perpetuitate conciliare non poſſet, propter cauſas hactenus à nobis memoratas; ſubſidium quod potuit, quodq; in promptu fuit, ad immortalitatem ei comparavit, inſtar ſapientis cuiuſdam urbis conditoris, (ut Galenus præclare ſcripſit) non id modo agit, ut urbem ſuam in præſens duntaxat tempus populo ac civibus affluentem reddat, ſed in poſterum quoq; providet, ut incolarum ea frequentia ſemper celebretur. Hoc igitur

tur cõſilio æternitate immutabili ſerieq́; ſempiterna, viventium ortus & procreationes continuavit; ut in demortui locum, novi quaſi militis ſupplemento ſuccederet ac ſuccenturiaretur, quodq; ſingulari eſſentia ſervari non poterat, id ſpeciei duratione permaneret. In quem ſcilicet uſum, & communis illa hominum parens ac παμμήτωρ non ſolùm concipiendi inſtrumenta omni animalium generi tribuit, ſed & inſtrumentis ipſis, eximiam quandam vim voluptatis conciliatricem, ac ſenſus velut titillantem indulſit, tum animo, cui illorum miniſterio atq; ope adminiſtra uſus fuerat, incredibilem fruendi illis cupiditatem inſevit. Hæc eſt illa procreandi libido, hic conjunctionis παιδοποιΐα. appetitus omnium animantium communis, quo uterque ſexus commiſceri mutuo, & ut Ariſtotel. ſcripſit, ex ambobus quaſi unum fieri animal cupiunt, ad generis ſui conſervationem: de quo ſcilicet nunc plus verborum neq; fieri debet, neq; poteſt. Credo pleriſq; de iis quæ à me hactenus commemorata ſunt, perſpectum eſſe, Hippocratem verè pronunciaſſe, cùm dixit, ὁ βίος βραχύς. Neque opus eſſe arbitror aſſertione illorum prolixiore, cum hæc ipſa opinione mea longius proceſſerit.

Viſum tamen non abs re fuit, huic diſputationi quaſi colophonem imponere, expreſſo annorum vitæ humanæ numero: ut de hoc quoq; conſtare poſſit ſententiæ huius veritas. Atq; numerum illum alii ſeptenis, alii novenis annis variè multiplicatis (hos enim quaſi flexus quoſdam & ſcalarum gradus conſtituerunt in vita humana, quibus & ingreſſio hujus niteretur, & aſcenſio fieret, & deſcenſio. (Græci annos hos κλιμακτηρικοὺς, id eſt, ſcalares nuncuparunt) Illis igitur per ſeptenarium vel novenarium variè auctis tempus ætatis noſtræ definierunt LVI:

Quidam his ſeptem amplius adjicientes, eandem circumſcripſerunt annis LXIII. quem quidem ætatis annum quia ſeptenarii & novenarii in ſe multiplicatio efficit, inprimis periculoſum duxerunt. Vnde in quadam Epiſtola Octavianus Auguſtus Imperator Caio ſcribens, gratulatur ſibi natalem LXIIII. quod evaſerit præcedentem LXIII. communem ſeniorum κλιμακτῆρα. Qui verò erga genus noſtrum paulò liberaliores fuerunt, annos LXX, non etiam nulli LXXXI. ad vivendum nobis indulſerunt. Sed ſive LXX annis ætatem humanam definias, quos & vir Dei Moyſes, dies, inquiens, annorum LXX anni, nobis conceſſit; & Galenus, cum 30 annum aut ad ſummum 35, vitæ dimidium fecit: ſive annos illi aſſignes 81, quos Plato primus introduxiſſe exiſtimatur, deducto in ſe numero Novenario: ſive igitur his, ſive potius illis, finem vitæ metiaris, annon ipſorum dimidium ſomno deperibit? Quo quidem tempore, ſi verum eſt, quod Heſiodus de ſomno prodidit, κασίγνητον θανάτοιο, id eſt, ut Maro expoſuit, conſanguineum leti illum appellans, minimè vixiſſe perhiberi poſſumus. Iam de reliquo dimidio, ſi annos ſubducas pueritiæ, quibus ad ſtudium Medicinæ nondum ſumus idonei: ſi eos minuas, qui Grammatices & linguarum cognitioni tribuendi ſunt, ut reliquas omittam diſciplinas, non minus Medico neceſſarias: ſi deniq; extrema ſenecta annos detrahas, quibus in pueros rurſus degeneramus (πάλιν γὰρ αὖθις παῖς ὁ γηράσκων ἀνὴρ, ſecundum Sophoclem) quantum annorum de illis 35. tam immenſo artis Medicæ ſtudio fiet reliquum? Quid? quod magna vitæ pars elabitur malè agentibus, maxima nihil agentibus, tota aliud agentibus, *ſi Senecæ fidem habemus? Quantum verò temporis amicis damus? quantum animi relaxationi, quantum commeſſationibus, quantum aleæ, quantum pilæ, quantum urgendis ſcyphis, quantum denique*

ταῖς ἀφροδισίαις καὶ ἀναλγησίαις? *Veriſſimè igitur Satyricus dicit:*

—— Feſtinat enim decurrere velox
Floſculus, anguſtæ miſeræq; breviſſima vitæ
Portio: dum bibimus, dum ſerta, unguenta, puellas,
Poſcimus, obrepit non intellecta ſenectus.

Quare certò certius eſt, quod de vita noſtræ brevitate, ſenex ille veridicus pronunciavit, ſive τῆς βραχυβιότητος *cauſas requiras, ſive ætatis cujusq; rationem ineas, ſive denique cum artis noſtræ magnitudine illam dimetiaris.*

De artis magnitudine, ut deinceps à nobis aliquid dicatur, res poſtulat, interpellante tempore, quod iam iam elapſum eſt: verùm curſu corrigemus tarditatem.

Quarum autem artium ac diſciplinarum cognitione Medico opus ſit, cum alii tradiderunt, tum Galenus expoſuit eo libello, cui titulum fecit: Si quis optimus Medicus eſt, eundem eſſe Philoſophum. Hippocrates quidem noſter Theſſalo filio ſcribens, hortatur eum ad Geometriæ & numerorum ſcientiæ cognitionem: ut illâ ad oſſium ſitus & luxationem, & reliquum membrorum ordinem exactè cognoſcendum; hac verò ad circuitus & varias febrium viciſſitudines ac commutationes, tum ad iudicia, quæ de ægrotantibus ferenda ſunt, utatur. Idem Medicum Philoſophum eſſe dicit ἰσόθεον, *atq; omnia, quæ ad ſapientiam requiruntur, in Medicina ineſſe, profitetur. Alii præter linguarum cognitionem differendi artem, alii Aſtronomiam, alii naturæ obſcuritate, alii alia ad Medicæ artis perfectionem & conſummationem requiſiverunt. Quorum omnium opinionem ſi paucis complecti ſit neceſſe, propone*

tibi

tibi hanc mundi univerſitatem, hanc quaſi communem urbem & civitatem hominum & Deorum. Quibus enim limitibus, quibus regionibus circumſcriptum eſt templum hoc immenſum cœli & terræ, iiſdem artis hujus fines terminantur. Etſi enim Medicinæ materiam propriè ſubjectam, humani corporis naturam eſſe dicimus: tamen non hominis illa tantum fabricam, & vires hujus atq; functiones perſequitur, ut ſanitatem in corpore humano conſervet, & morbum depellat: ſed etiam quodammodo compages illa corporis ex elementis conflata ſit, qualemq; ex ipſorum commiſtione temperaturam acceperit, accuratè diſquirit. Itaq; & ortus rerum omnium & occaſus rimatur, & animalium naturas, & ſtirpium vires proprias, quatenus illa quidem homini ſalutares ſunt, vel peſtiferæ, inveſtigat. Quid? quod altius ſubiens, patefactis terræ faucibus, & aquarum abyſſis recluſis, metalla eruit, lapides effodit, gemmas ſcrutatur, facultatesq; omnium, quæ ex mari & terrâ extrahuntur, ad huius minoris mundi, qui homo eſt, ſalutem & incolumitatem opportuna & neceſſaria indagat? Et quis omnia, quæ Medico cognoſcenda ſunt (Medicum autem dicimus non ἐεσπότην aut σκατοφάγον, nec veterinarium ὑΐατρον, βοΐατρον, à quibus maximè cavendum in cura, præſertim corporis humani, ut doctè annotavit Ioh. Langius in Epiſt. medicinal p. 598. nec non in Homiliis Evangelicis M. Mollerus parte tertia p. 219.) brevi commemoratione percenſeat? Itaq; cum tot tamque arduarum rerum atq; abditarum peritia eum inſtructum eſſe oporteat, veriſſimè Hippocrates, qui non modo, qui eum ſecuti ſunt, Medicis rectè ſentiendi Princeps, ſed etiam Philoſophis ſapiendi autor fuit, artem dixit eſſe longam, præſertim ſi ad vitæ eam humanæ brevitatem exigamus. Sed de his plura fortaſſis, quam neceſſe fuit,

Ariſtoph. in Pluto.

apud

apud viros nimirum, omnis liberalis doctrinæ copia, tum ſcientia hujus facultate excultos. Verum non doctis & eruditis iſta dedimus, ſed adoleſcentibus tam præclaræ artis ſtudioſis, propter quos hæc potiſſimum fuit inſtituta commedatio, prolixa illa quidem, ſi cum temporis ad orandum nobis conceſſi brevitate eam dimetiaris: brevis autem, ſi cum rerum explicatarum magnitudine eandem adæques. Reliquum eſt ut & de inſtituti mei ratione dicatur, & quidem paucis.

Noviſtis procul dubio omnes, vel ſaltem plurimi, quod decurſis ſpatiis, curriculi ſtudii tam optimarum artium, quam Medici, legibus ſcholæ huius præfiniti, non per ſaltum, quod alios facere nunc videas, nimium ad honorum ſublimitatem feſtinantes, ſed per gradus paulatim adſcendendo, quisq; in hac Academia ad dignitatem evehatur: mihi autem cum reliquis competitoribus meis eadem ſuperioribus ſeptimanis tributa ſit in arte Medica, quæ prima Laureæ notione indicatur, dignitas.

Partium certè mearum eſſe duxi, ſi progreſſus in ſtudio Medico facturo uberiores pro conſequenda ad implendaq; Licentia, tum legendo, tum diſſertando, reſpondendoq; exſequerer ea, quæ ſecundum Ampliſſimi Collegii Medicorum ſtatuta ac legum ſacratiſſimarum ſanctiones requiruntur ab eo, qui conſequendi ſummi in hoc ordine dignitatis & honoris gradus aliquando affectaret. Conſtitui igitur mecum ſectionem primam Aphoriſmorum Hippocratis ſtudioſis adoleſcentibus audire me volentibus ἀμαθεσέως ἀλλὰ συφεσέως enarrando explicare, dando operam enitendoq; ut eam, poſtquam attentionem & frequentiam ſtudioſorum adoleſcentum perſpexerimus, ſpatio trimeſtri, ad umbilicum perducamus. Quod nunc ſignificandum fuit iis, quibus forſan qualiscunq; illa opera non ſorderet. Ad

extre-

extremum, quemadmodum initio receperam, argumentū πραγματείας Hippocraticæ, ſed cùm temporis anguſtia excludamur, id reſervabimus ad explicationem textus. Audiviſtis nunc, de quibus me dicturum promiſeram, de duplici genere Medicorum, vitæ brevitate & artis magnitudine, nec non inſtituti mei ratione: quæ ut æqui boniq; faciatis, ab univerſis & ſingulis, qua decet ac par eſt animi ſubjectione, ſtudio atq; contentione, majorem in modum peto.

Notum eſt vobis illud proverbij ſermone tritum;

Qui nunquam malè, nunquam benè.

Memoratur & Poëta dictum;

In magnis voluiſſe ſat eſt.

In qua conſideratione vos tenuiculum hunc quaſi apparatum verborum ac conatum meum, quod ſpero, boni conſuletis, non quid dixerim attendentes; ſed quid dicere voluerim, apud animum reputantes veſtrum. Quod ego de Excellentia & Humanitate veſtra mihi polliceor: à nonnullis etiam ſpondeo & recipio.

DIXI.

Pro-

Programma ad Valvas Collegij Majoris Lipſiæ affixum.

SCitum eſt illud Hippocratis 6. Epidem. ἄσκησις ὑγίης, ἀκορίη τροφῆς, ἀοκνίη πόνου. Quo ſanè monendo ſubjicitur, valetudinis firmitatem non poſſe comparari, ni alimentorum nobis conſtet aſſumendorum modus, atq; ſemper impigrè laboremus. Sive enim hos vel illos cibos ingeras, exercitatione certè jugi, diſcuti repletiones infarctusq; illos oportet, ne febres inde & obſtructiones ſuboriantur. Sanitatis quippe ex attenuante victu profecta ratio in iis potiſſimũ apparet, qui nei magnis viribus præditi, neq; habitudine ea ſunt, quæ lacertoſos, aut pectoroſos, aut corpulentos præſtet. Hi ſignificanti voce à Græcis Evectici nũcupantur, quorũ nimirũ habitus tolerãdis laborib. civilib. ruſticanis, militaribusq; ceteris; quæ μετὰ προσθήκης ἕξεις ſunt, meritò anteſ ertur. ideoq; ἁπλῇ dicitur hujus explicatio à Galeno libello περὶ εὐεξίας inſcripto, ſuccincta brevitate καὶ ἐπιτομὴν explicatur. Eam itaq; doctrinam de laudatiſſimarum legum facultatis Medicæ ſanctione, hoc tempore pro conſequenda in Medica arte Licentia audire eam volentibus enarrando pertractare decrevi & conſtitui. Ac licet in tam graviſſimo autore, difficili laborioſaq; adeò materia vires meas longè impares agnoſcam, operam tamẽ daturus ſum, ut arguta brevitate ſpatio menſtruo ad finem perducam. Accedam autem

> *Qui benè ingerit, digerit, egerit, is ſanus eſt.*

> *Verba Columellæ.*

 ad

ad hanc explanationem, ubi prius Oratio proſa in limine quaſi prælectionis huius nonnihil de Autore & argumento opellæ dixero, id quod facturus ſum Divinâ favente Gratiâ craſtino die hor. 6. antemerid. in Collegii Principum Maioris auditorio Medico. Quod ſignificandum fuit iis, quibus non ſordet Medicæ artis cognitio neceſſaria, & cæteris, qui me auſcultare voluerint. Atq; univerſis & ſingulis, de ſtudio, cura, operâ & diligentiâ noſtrâ tantum policemur, quantum in promtu, & vires noſtræ non denegabunt.

HElluo librorum, quando inſatiabilis es tu,
Quos te ſubinde ingurgitas?
Bibliotheca tibi num tutò creditur? hoc né
eſt
Ovem lupo committere?
Teq; lupumq; inter ſed, ſi modò vera fatemur,
Eſt magna differentia.
Trux edit alter oves, libros tu mitior edis:
Ille eſt nocens, tuq; vtilis.
Ille gregem minuit: numerum tu gnaviter auges,
In hac penu libraria.
Macte tua ingluvie, Kitſchi doctiſſime! corvos
Lupus faceſſat ad nigros.
Helluo librorum perge inſatiabilis eſſe,
Quos interim multiplicas.

T. ille quem noſti

Hieronymus Megiſerus C.P. Sereniſſimi Electoris Saxoniæ &c. Hiſtoricus primarius, & in Acad. Lipſicâ Profeſſor extraordinarius.

DOSATIO PSALMI NONAGESIMI PRIMI, EUCTICA PRIVATA,

Deſſæ inſtituta, peſte viciniam meam invadendo corripiente, ubi triſtis nox & plurima mortis imago; ſecundum ſingulos illius numeros ſive verſiculos.

1.

DOſis: Nihil metuendum auſpice Chriſto, præſtite Chriſto.

2. Chriſtus mî ſpes eſt, fiducia, turris, aſylum.

3. Chriſtus alexicacus ſeu Hercules alter, ſpicula peſtis forti manu retundit.

4. Sub ſcapulis Chriſti cuivis requieſcere tutum.

5. Chriſtus mi ſcutum eſt: nocturna pericla faceſſant.

6. Vita mihi Chriſtus, mors non niſi terror inanis.

7. Si mihi Chriſtus adeſt, nil funera mille paveſco.

8 Virga paterna lues juſto, nex dira maligno.

9. Nulla ſalus præter Chriſtum, ſpes omnis in illo.

10. Non præſente nocet Chriſto infortunia juſtis.

11. Tutor in officio verſantibus angelus adſtat.

12. Angelus incolumem quem præſtat, is undique tutus.

13. Noxia nulla feræ rabies, quos JOVA tuetur.

14. Nomen Chriſte tuum turris fortiſſima juſtis.

15. Funde preces Domino, qui rite precantibus adſtat.

16. Vita quieta, ſalus animæ, benedictio Jovæ eſt.

Poriſma

Poriſmata.

1. Peſtis crux medicorum.
2. Unicum in peſte bonum, quòd citò homines jugulat.
3. Animus imperterritus certiſſimus adverſus contagium Medicus.
4. Bona ſpes in peſte morbifera ſalus ægroti eſt.
5. Peſtis morborum omnium Epitome eſt.
6. Plus poteſt unus Moiſes precando peſtis tempore, quàm numeroſus exercitus pugnando.
7. Non tuetur à peſte crebra locorum mutatio, ſed vitæ morumq; ſeria emendatio.
8. Nullibi adverſus Deum t[illegible] immunitas eſt.
9. Præſtat habitare in altiſſi[illegible] adjutorio, quàm totius mundi ſervari præſidio.
10. Officiis caritatis proximo præſtitis, nec parcà quidem manu, tutiſſimus in adjutorio altiſſimi habitabis.
11. Malè ſibi conſcius metu contagii expaveſcit, & ad ſtrepitum folii, quod dicitur, cohorreſcit.
12. Fruſtrà metuit peſtem extra, qui ſentit malam conſcientiam intra.
13. Bonum eſt à Domino corripi pios, ne nimià ſecuritate deteriores reddantur.
14. Sagitta volans peſtis eſt, in quam quicunq; à Domino fugit, incidit: Qui verò adhæret Domino, auxilium ejus præſtolatus, ſecurus evadit.

15. Quæ-

15. Quævis hora & vitæ & necis eſt. Si degeneres quamcunq; time, quia finis eſt tuæ felicitatis, & initium nunquam deſituræ calamitatis: ſi frugi, exopta, quia clauſula tibi eſt miſeriarum, & principium æternorum gaudiorum.

16. Dum in vitâ ſumus media, vix latum unguem ab inopinata diſtamus morte.

Conſectarium.

1. Quid eſt meliorem vitam diu exſpectare, niſi afflictionem in his terris diu experiri?

2. Spes futuræ melioris vitæ cum differtur, affligit, cum impletur, ægrè nobis facit.

3. Sicut mortale ſignum, medicinam aſſumtam per vomitum reddere: Ita audire verbum Dei, & non cuſtod[illegible].

4. Qui corpor[illegible] ſolùm vivit, ea quæ corporis ſunt, ſolùm curat: qui verò animæ culturam pharmacum immortalitatis ritè obſervat, omnis morbi ingruentis expers eſt.

5. Ad veram Dei ſuiq; notitiam perveniſſe, eſt ætatem perfectiſsimam attigiſſe.

6. Non qui corpore, ſed mente ſenex eſt, verum adeptus eſt ſenium.

7. Diu vivere nihil eſt aliud, quàm diu peregrinari, & à Chriſto abeſſe.

8. Piorum ex mortali hac vitâ tranſitus melioris eſt initium.

6. Non caſu fit quod tibi accidit, ſed quod paterna Dei voluntas de te cogitavit.

16. Non mancipio vitam nobis dedit, ſed mutuò. Ergo cum commodatum aufert, facit id jure ſummo,

Qui

11. Quicunq; à rebus mundanis in univerſum nondum abſtraxit cogitationem, vix certam apud Deum inventurus eſt exauditionem.

12. Clamore opus eſt inter precandum, non propter Deum, ſed temetipſum.

13. Qui precatur, non attendens quid petat, fruſtrà accuſat Deum, quod voluntatem noſtram ipſo opere non impleat.

14. Anxietas cordis operatur precationem oris.

15. Vis exaudiri à Deo ocyus, clama igitur frequentius: Non enim uno ictu ſed crebriori arbor cadit. Repetatur ergo absq; intermiſſione precatio, quæ nubes penetrat, & voti compotes nos reddit.

16. Suſpirium ex mente devota profectum nunquam fuit apud Deum fruſtraneum & irritum.

IN BEATUM OBITUM
Clariſſimi & Doctiſſimi Viri
DN. GREGORII BERSMANI
ANNÆBERGENSIS, PHILOSOPHIÆ Magiſtri, & Illuſtris Illuſtriſsimorum & Generoſiſſimorum Principum Anhaldinorum, &c. Gymnaſii, quod eſt Serveſtæ, Rectoris benè meriti.

QVàm fragile, quam inconſtans humana vitæ curriculum ſit, tum ſacra Scriptura, cum quotidiana docet experientia. Sunt enim dies noſtri ſimiles umbræ ſerotinæ, ſunt velut flores caduci, qui uno marceſcunt flatu. Immo commorandi nobis natura diverſorium, non domicilium conceſſit; & hanc quam poſſidemus vitam, non tam vitã eſſe, quàm iter ad vitam, monet is qui omnia ſuo arbitratu regit, & ſolida ac firmis nixa radicibus momento temporis vertit.

Ideoq; Nemo tã Divos, *inquit Seneca,* habuit favẽtes,
Craſtinum ut poſſet ſibi polliceri.
Et; Quis ſcit an adjicient heſternæ craſtina vitæ
Tempora Dii ſuperi.----
Nam; Stat ſua cuiq; dies, breve & irreparabile tempus
Omnibus eſt vitæ, ſed famam extendere factis,
Hoc virtutis opus.----
Et, Quis eſt, quamvis ſit adoleſcens, cui ſit exploratum, ſe ad veſperam eſſe victurum? quippe homi-

nibus natura dedit uſuram vitæ, tanquam pecuniæ, nulla præſtituta die, *ut refert Tullius. Inde Seneca inquit:*

Occupatus ſis licet, vita tamen feſtinat,
Mors interim aderit, cui, velis nolis, vacandum eſt.

Huius fragilitatis & imbecillitatis vitæ noſtræ exemplum nobis propoſitum eſt in exceſſu ex hac miſeriarum valle VIRI CLARISS. ET DOCTISS. Dn. M. GREGORII BERSMANI ANNÆBERGENSIS, *quem nudius quartus in medio fere terminorum vitæ provectiorum, à Pſalte Regio in Pſalmo 90. propoſitorum Anni noſtri qui in ipſis diebus ſunt, ſeptuaginta ſunt anni, & ſi in viribus (majoribus) octuaginta ſunt anni: & talium ſuperbia, eſt merus labor & moleſtia, quippe quæ citò recedit & nos avolamus; duræ fatorum leges & moriendi neceſſitas inevitabilis penſum abſolvere juſſerunt, eiq; ob maxima bona & merita præclariſſima in Remp. literariam & hèic & alibi ſtudioſiſſimè collata,* MORTEM IN GLORIA, *καὶ τὴν τοῦ θανάτου μνήμην ἐν εὐλογίᾳ promiſerunt. Quare & nos omnes eidem, eo ipſo, quo olim Epicharmo Poëtæ familiares & diſcipuli ſui, Epitaphio juſta faciemus:* πολλὰ ποτ' ἐὼν ζωὰν τοῖς παισὶν εἶπε χρήσιμα, μεγάλα χάρις αὐτῷ.

Humile quidem & tenue prima fronte plerisq; videatur iſtud Elogium, ut eſt Scholaſticum vitæ genus hodie contemtum, ſed revera ſummum & honorificentiſſimum eſſe, prudentes omnes iudicabunt. Quid enim maius, præclarius, divinius, quàm multis pueris multa ad vitam utilia dicere & inſtillare? Hoc igitur ἐπίγραμμα Siculi Poëtæ, meritò monumento CLARISS. NOSTRI RECTORIS *inſcribendum eſt, qui ſupra XLV. annos florentem & innumeram iuventutem optimis pietatis & literarum ſtudiis*

ſtudiis imbuit, ac ad omnium vitæ generum in Eccleſiâ, in Scholis, in Republ. uſum communem informavit: cui hoc nomine ſanè magna gratia debetur. Ac ut vitæ ipſius periodū ſtrictim percurramus, natus eſt ANNAEBERGAE, urbe diœceſeos Miſnicæ haud ignobili, Anno à partu Virgineo MDXXXVIII. Eid. VI. MART. genere honeſto, parente laudato, Heinrico Berſmano, præfecto ibidem ærarii pauperum.

Et poſteaquàm in Schola patria fundamenta linguæ cùm Latinæ tum Græcæ poſuiſſet, annos natus undecim ad Scholam Illuſtrem Elector. Saxon: quæ eſt Miſenæ, miſſus eſt, in qua annos continuos ſex operam navavit ſedulò artium & diſciplinarum ſtudio, quibus abactis celeberrimam Lipſienſem Academiam adiit, inq; iſtius civium numerum adſcriptus eſt, & non multò pòſt laborum ſuorum exantlatorum, gratiæ Muſarum præmio, titulo nempè Magiſterii dignus judicatus eſt. His ita Lipſiæ laudabiliter geſtis, pedem inde in Galliam & Italiam extulit, eundemq; tum Paduæ tum Ferrariæ ſtudiorum gratia per tres annos fixit. Qui cum dilapſi eſſent, patriam viſendi eum animus ſubiit, ex qua ad munus Conrectoris in Schola illuſtri PORTAE ſuſcipiendum ritè vocatus eſt. ANNO MDLXIIX. ob fidelem præſtitam operam in demandato officio PORTAE, omnium ſuffragio VVITEBERGENSIVM ad profeſſionem libelli de Anima electus eſt. Sed Anno MDLXXI. hanc ſtationè deſerendo, in Academia Lipſienſi prælectionibus Poëtices præfectus fuit, quo anno inſimul Decanum Philoſophiæ egit. Anno MDLXXV. relicta priore profeſſione, eam quâ operam ſuam eidem Academiæ conferre potuit in prælegendis utriusq; linguæ elegantiis, nec non doctrina Ethica, accepit, quamq; mandato & iuſſu Illuſtriſſimi Electoris, eò quod, certas ob cauſas, libello Concordiæ *ſubſcribere noluerit, deſerere coactus*

 fuit.

fuit. In hac ipſa tamen functione conſtitutus dicto anno in promotione celebri Magiſtrandorum XXXVIII. Procancellarii partes ſuſtinuit. Accidit non multò pòſt, ut varias ob rationes, inclytus Senatus Serveſtanus, conſenſu Illuſtriſs. Principis Anhaltini, Dn. Ioachimi Erneſti P. M. conſilium de conjungendis ambabus civitatis ſcholis iniret, unumq; ſic corpus, cui unum præficeret caput, conſtitueret. Quod factum eſt, ut Anno M.D.LXXXI. Kal. Xbr. XVI. unanimi conſenſu Illuſt. Principis Ioachimi Erneſti, & inclyti Senato Serveſtani ad munus Rectoris in ἀσκητηρίῳ ſeu Collegio juventutis cõſtituto vocatus fuerit. In qua ſtatione per annos triginta continuos (demtis ſeptimanis ſex) quantum Eccleſiæ quantum Scholæ quantum Reip. non modò Anhaldinis ſed & exteris profuit, πολλὰ χρήσιμα παισὶν proponendo; quid opus eſt dicere, cum res ipſa loquatur? Magnam ipſi procul dubio, ut Epicharmo gratiam habebunt & agent infiniti diſcipuli in omnibus oris, & gratâ memoriâ fideliſſimi præceptoris pietatem, induſtriam, indefeſſum laborem, patientiam ἐπιείκειαν, dexteritatem & omnis generis virtutes celebrabunt.

Viduæ ejus mœſtiſſimæ relictæ parens fuit Rever. & Clariſſ. vir Dn. Petrus Helleborn SS. Theologiæ in Academiâ Lipſienſi Profeſſor, vixitq; cum eâdem in conjugio, ut placido, ita fœcundo annos XXXVI. Hebd. VII. & dies aliquot, decemq; liberorum parentem eum reddidit, quatuor filiorum, & ſex filiarum, ex quibus ſex naturæ iterum debitum perſolverunt, quatuor verò adhuc vitali cum matre viduâ fruuntur aurâ.

Morbum, mortis ipſius πρόδρομον, defuncti noſtri quod attinet, incidit VIII. Kal. Xbr. in febrem ardentem, qui illum deferente, graviſſimi ex calculo veſicæ dolores ſubſecuti ſunt, quibus et nocte dieq; conflictandum fuit

tùm & ſepiſſimè. In eo tamen conſlictu non ſic unquam occubuit, ut non votis ardentibus ſuſpiriisq; ſuis diſſolvi, & eſſe cum Christo Salvatore ſuo cupiviſſet; ſibiq; ipſi pro faſce iſto dolorũ prægrandi leniendo, dicta Biblica permulta in memoriam revocavit, ut eſt illud Iobi: Scio quod Redemtor meus vivit. *Item Iohannis:* Sic DEUS dilexit mundum. *Item iſtud Pauli;* Nemo noſtrum ſibi vivit, *&c. Nec non Pſalmos Davidicos, 42. 51. & 90 piasq; precatiunculas alias. Et ſic piis eiuſmodi cogitationibus, virib. ſenſim collabentibus, nudius quartus circa IIX. matutinam, illam ſolatii plenam cantionem germanicam,* Wenn mein Stündlein vorhanden iſt /*c. ex illo Stephani Protomartyris,* Domine Jeſu ſuſcipe Spiritum meum, *uſurpans, & imminentem morbis neceſſitatem ſatis æquo expectans animo, diem ſuum obiit, ut vixit annos 73. Hebdom. 28. cum 5. diebus.*

Quandoquidem verò migratio viri huius Clariſſimi, ſi ſortem noſtram, cognatorum & amicorum ſpectemus, luctu quidem & lamentationibus; ſin autem ipſum, qui è tenebris ac vinculis corporis in lucem libertatemq; productus, & piis omnibus promiſſam poſſidet, ut omninò confidimus, hæreditatem, Christianâ quadam pompâ & gratulationibus ſolitis proſequenda & exornandæ eſt: mandamus, rogamus, ac ſedulò monemus omnes Gymnaſii huius cives & alumnos, ut humanitatis & benignitatis Christianæ memores, ad honorificam funeris deductionem craſtinâ die horâ matutina nona in area Gymnaſii ad ædes Rectoris frequentes conveniant; & funus, quod inde efferetur, pio & Chriſtiano more ac ritu comitentur. Facturi hac in parte rem Deo acceptam, & familiæ defuncti gratiſſimam. Valete. P.P. Eid. VIII. Octob. Anno MDCXI.

FRAGMEN-

FRAGMENTUM LITERArum S. S. ad amicum.

OBiit tibi compater cariſsimus, mihi condiſcipulus veterrimus, amicus integerrimus, affinis ſuaviſſimus, Gregorius Berſmanus, ex cujus morte acerbiorem ferme dolorem hauſi, quàm ex parentum. Amicitia enim noſtra & diuturnitate temporis, & ſtudiorum ſimilitudine, & voluntatum & opinionum tam in ſacris quam in profanis conſenſu firmiſſimè corroborata, ſine acerrimo disjunctionis ſenſu diſſolvi nō potuit, cū per annos quinquaginta novem in variis temporū mutationibus integra manſerit, ſine ulla offenſionum querela, quales ſæpe inter conjunctiſſimos exiſtere ſolent. Viduam, matronam lectiſſimam, velim amantiſſimè conſolare meo nomine, ipſiq; indices, nihil mihi gratius eſſe poſſe, quàm ſi eodem modo, quo Peucero illi, parentare queam. Sed multa diſſimilia me terrent. Heidelb. 5. IXbris. 1611.

MANES

MANES BERSMANIANI.

VIvum te colui Berſmane, ter optime vates,
Defuncti cineres quis coluiſſe vetet?
Eructent alii pleno in te ſcommata folle,
In ſcriptis vivis tu tamen uſq; tuis.
Vivis, & aeternum tua vivida ſcripta loquentur,
Scilicet ingenii dona diſerta tui.
Nam quicunq; DEO vitam, Muſisq; ſacravit,
Mortuus in vitâ vivit is INVIDIA.
Salve ſancte ſenex, meritorum grata tuorum
Praemia, ſi qua ſolo nulla, repoſta polo.
Interea noſtri monimentum & pignus amoris,
Aſcripſi cippo talia verba tuo:
Alter Ariſtoteles, Maro vena, Tullius alter:
Alter & eloquii flumine Naſo ſacri,
Hic recubat (quamvis melior pars aethera luſtrat)
Donec ad adventus gaudia CHRISTE tui.
Hoſpes da lacrumas, & miſtis lilia roſis
Spargens, dic: Cineri pax & amica quies.
Deſine livor edax: Berſmanus gloria vatum
Conceſſit fatis, te TVA FATA manent.

Programma in obitum Frid. Groſii, ante annos 9. Serveſtæ quoq; impreſſum.

RECTOR SCHOLÆ DESSANÆ M. HENRICUS KITSCHIUS DISCIpulis & alumnis illius

S. D.

USurpatur multorum ſermone verſus Euripideus hic ex Phæniſſis, ὁ πλοῦτος οὐ βέβαιος, ἀλλ' ἐφήμερος: quem ita interpretari fortaſſe non inconveniens fuerit: Haud eſſe diuturna, ſed diurna opulentia. de quo verſu Demetrium Phalereum, quem Cicero Græciæ Oratorum omnium appellat eruditiſſimum (licet non tam armis inſtitutum, quàm palæſtra) dixiſſe perhibent, eſſe illum quidem, ſicut Euripidea pleraq; omnia, præclarum, fuiſſe autem futurum meliorem, ſi Poëta incertæ hominum fortunæ non diem tribuiſſet unum ſed μίαν στιγμήν, hoc eſt, punctum temporis. Quod ſi, pace tantorum virorum, animi noſtri ſententiam expromere nefas non eſt, ſane ad vitæ humanæ fragilitatem utrumq; dictum non paulò melius. quin multo illud quidem rectius accommodabitur: idq; ita ſe habere, teſtimoniis cum profanarum tum ſacrarum literarum planum fieri poteſt. De quibus ut unum atq; alterum in medium proferens, cum pluribus in præſentia opus non ſit, apud Sophoclem Ulyſſes Ajace, de vita hominum fragili atq; incertâ ita dicit:

Ὁρῶ γὰρ ἡμᾶς οὐδὲν ὄντας ἄλλο, πλὴν
Εἴδωλ᾽, ὅσοιπερ ζῶμεν, ἢ κούφην σκιάν,

Hoc eſt,

Video enim nos nihil aliud eſſe, niſi ſimulacra, quotquot vivimus, aut levem umbram. Ex Apoſtolis vero Iacobus ποία γὰρ, inquit, ἡ ζωὴ ὑμῶν; ἀτμὶς γὰρ ἐστὶν ἡ πρὸς ὀλίγον φαινομένη, ἔπειτα δὲ ἀφανιζομένη, id eſt, Quæ eſt enim vita veſtra? Vapor enim eſt, qui ad exiguum tempus apparet, & deinde evaneſcit. Harum mihi ſententiarũ memoriam, in privato dolore ac mœrore meo, ſuggeſſit obitus immaturus ornatiſſimi viri, cognati mei, Dn. FRIDERICI GROSII qui nudiusquartus vitam hanc mortalem & ærumnoſam cum immortali ac beata commutavit, extinctus catharro ſuffocativo intra horam quartam & quintam veſpertinam, poſtquam vix ætatis ſuæ annum XXII compleviſſet cum ſemeſtri. Natus eſt enim anno CHRISTI IESV ſupra milleſimum quingenteſimum octogeſimo, Dominica, quam faſti Eccleſiaſtici appellant ESTO MIHI, parentibus in urbe LIPSIENSI honeſtiſſimis. Patrem enim habuit virum Senatoria dignitate præditum Dn. HENNINGIVM, cujus in civitatem illam merita extant præclara, & non minora in Rempubl. Literariam: de qua importando & aſportando in omni genere diſciplinarum libros utiles, atq; his multos hactenus annos excudendis ſumtus faciendo non exiguos, optimè meretur. Matrem nactus eſt ANNAM matronam honeſtiſſimam, pietatis, pudicitiæ & probitatis laude inter cives ſuos inprimis celebrem, & Forſterorum Franciæ originis familia oriundam,

tum in pauperes & egenos, ipſumq; adeò miniſterium valde beneficam & benignam. Talium igitur hic cognatus noſter parentum ſatu in lucem editus, atq; in Schola patriæ ſuæ ab ineunte ætate liberaliter educatus, ad capeſſendum morum ac doctrinæ fructũ uberiorem, ab iisdem miſſus eſt Serveſtam, ibiq; privatæ inſtitutioni atq; inſpectioni Rectoris Scholæ commendatus; cujus etiam convictu domeſtico annos quatuor cum laude probitatis, modeſtiæ atq; obedientiæ uſus fuit. Cum autem parentibus gravi & idonea de cauſa adhibendus videretur ad Bibliopolium, Lipſiam inde revocatus, uxorem duxit virginem honeſtiſſimam REGINAM, viri Clariſſimi ac Doctiſsimi Dn. MATTHÆI FLACCII, Medici quondam Berlinenſis, laudatæ memoriæ, filiam; cum qua in matrimonio ſuavi nec infecundo annos exegit non plures quaternis, relicta ex illo filiola ſuperſtite unica. Quod autem valetudine ipſe plerumq; uteretur infirmiorē, ejus curandæ gratia in hoc oppidum ſe recepit, uſurus opera viri Clariſsimi Mediciq; peritiſſ. D. BALDVINI CLODII, Archiatri Anhaltini: cujus ſanè in morbo ſuo diuturno diligentiam & fidelitatem per aliquot menſes expertus eſt. Quia vero (ut poeta non minus eleganter quàm vere cecinit)

Non eſt in Medico ſemper, relevetur ut æger,
Interdum docta plus valet arte malum:

quantamcunq; illius artem & induſtriam vicit morbi vis: quo tandem, ita volente æterno DEO (in cujus, ſecundum Pſalmographi dictum, manu ſunt tempora noſtra) oppreſſus, fatis conceſsit:

con-

conſopitus in vera agnitione & ardenti invocatione filii DEI, quem vivens piè ac religiosè coluit, ejuſdemq́, in hoc ultimo agone manifeſtam ſenſit præſentiam, poſtquam brevi hoc vitę ſuæ curriculo vixiſſet amicis carus ac jucundus, moleſtus nemini. Cum autem funeris deductioni dicta ſit hora pomeridiana prima, hortamur & jubemus ſcholaſticos noſtros, ut ad exequias illas, ſicut decet & par eſt, conveniant modeſti, pompamq́; hanc funebrem comitatu ſuo cũ frequentiorẽ magis quam ornatiorem reddere poſsint, hoc ſaltem agant, ne indecenti ἀταξίᾳ & ſcholam hanc deforment, & iis, qui in honorem piè demortui, tum ad probandam parentibus mœſtiſsimis συμπάθειαν luctuſque ſui ſocietatem convenêre, inprimis vero Aulæ Illuſtri, non ſint offenſioni ac dedecori. PP. Deſſæ A D. XXVII. Mens. Septembr. Juliani Anno MDCIII.

DICTA

De vitæ humanæ brevitate & inanitate,

ex utriusq; literaturæ autoribus decerpta.

1.

Βιότης χρόνος βραχύς. Tempus vivendi breve.

2. Τὰ μικρὰ τοῦ βίου. Brevis hæc vita. Amphitruo apud Eurip: Hercule Furente, annotante Theodor: Zvvingero, p. 374. Philoſoph. Moralis.

3. μικρὸν χρῶμα τοῦ βίου. Brevis res vita. Euripid. in Supplicibus.

4. ἐπάμεροι, τί δέ τις; τί δ' οὔ τις; σκιᾶς ὄναρ ἄνθρωπος. Diurni ſunt homines, quid verò quis? quid vero non quis? umbræ ſomnium homines ſunt. Pindar. Od 8. Pythior:

5. σκηνὴ πᾶς ὁ βίος, καὶ παίγνιον, ἢ μάθε παίζειν,
τὴν σπουδὴν μεταθεὶς, ἢ φέρε τὰς ὀδύνας.

Omnis vita eſt veluti ſcena & ludus: aut ludere diſce,
Depoſitâ ſeveritate, aut ſuſtine dolores.

Palladas in Epigrammatib. apud I. Brodæum.

6. τὸ δὲ ζῆν σμικρὸν, ἀλλ' ὅμως γλυκύ. Vita brevis attamen dulcis. Pheres ap. Stob.

7. κρεῖσσον τὸ μὴ ζῆν, ἢ ζῆν ἀθλίως. Satius mori, quàm calamitosè vivere.

8. κύκλος τῶν ἀνθρωπίνων περιφερόμενος. Vita eſt circulus in ſe rediens. Herod:

9. ζωῆς πονηρᾶς θάνατος αἱρετώτερος. Vitæ flagitioſæ comes mors eſt.

10. μία ἡμέρα πολλὰς μεταβολὰς ἔχει. Fert una multas lux viciſſitudines. Eurip.

11. βέβαιον οὐδέν ἐστιν ἐν θνητῷ βίῳ. Firmum nihil mortali in vita eſt uſpiam. Diphilus.

12. Βροτῶν ὁ πᾶς ἀστάθμητος αἰών. Mortalium univerſum ævum eſt inſtabile. Eurip.

13. οὐδὲν ἐν ταὐτῷ μένει. Nihil durat humanum in eodem ſemper ſtatu. Idem.

14. τὸ κενὸν τοῦ βίου πλεῖον τοῦ συμφέροντος. Vitæ vanitas amplior eſt, quam utilitas. Theophraſtus.

15. ὁ βίος ἀληθῶς οὐ βίος, ἀλλὰ ξυμφορά. Vita revera non eſt vita, ſed calamitas. Eurip.

16. μεταβολὴ τῆς ψυχῆς οὐ φθορά. Supremus dies mutatio loci, non animæ extinctio. Plutarchus.

17. Homo vitæ commodatus, non donatus eſt. Publius.

18. O vita miſero longa, felici brevis. Idem.

19. Qui ſex menſes vitam ducunt, Orco ſpondent ſeptimum. Lucilius apud Nonium.

20. Ad ſummam ætatem breve ſpacium eſt. Plautus.

21. Vive memor, quàm ſis ævi brevis. Horat.

22. Eheu fugaces labuntur anni. Idem.

23. Vitæ ſumma brevis ſpes nos vetat inchoare longas.

24. Jam te premet nox, fabulæq; inanes. Idem.

25. Stat ſua cuiq; dies, breve & irreparabile tempus Omnibus eſt vitæ. Virgil.

26. Properat curſu vita citato. Seneca.

27. Nemo tam divos habuit faventes
Craſtinum ut poſſit ſibi polliceri.

28. Feſtinat decurrere velox [illegible] Juven.

29. Quam longa una dies, [illegible] longa rotatum,
Quas pubeſcentes [illegible]
Quam modo naſcentem rutilus [illegible] Eou,
Hanc rediens ſero veſpere vidit anum.
Collige virgo roſas, dum flos novus & nova pubes,
Et memor eſto, ævum ſic properare tuum.

30. Naſcentes morimur, finisq; ab origine pendet Manilius.

31. Homo eſt fatuus usq; ad quadrageſimum annum; dein de, ubi agnovit ſe eſſe fatuum, vita conſumpta eſt. Martin. Luth.

32. Si compares annos, exiguum tempus, ſi vices rerum, ævum putes. Plin.

33. Summum hominis bonum, bonis ex hac vitâ exiens.

34. Secu-

34. Securus moritur, qui ſcit, ſe morte renaſci,
Mors ea non dici, ſed nova vita poteſt.

35. Quotidiè morimur: quotidiè enim demitur pars vitæ, & tunc quoq;, cum creſcimus, vita decreſcit. Joan. Lud. Vives.

36. Mors ultima pœna eſt, nec metuenda viris.

37. Mors properata pii non præmatura putetur,
Præmatura atheo mors quoq; lenta viro.
Joan. Lauterbachius.

38. Ludit in humanis divina potentia rebus,
Et certam præſens vix habet hora fidem.
Tu quoq; fac timeas, & quæ tibi læta videntur,
Dum loqueris, fieri triſtia poſſe puta.

39. Vive diu, ſed vive Deo, nam vivere mundo
Mortis opus, viva eſt vivere vita Deo.

40. Vive Deo gratus, toti mundo tumulatus,
Crimine purgatus, ſemper tranſire paratus.

41. Non poteſt præſentem diem rectè vivere is, qui ſe non eam quaſi ultimam victurum eſſe cogitat.

42. Fallitur inſipiens vitæ præſentis amore,
Sed ſapiens novit quanto ſit plena dolore.

43. Ad mortem ſic vita fluit, velut ad mare flumen;
Vivere nam res eſt dulcis, amara mori.
Joann. Ovvenus.

44. Reſtituunt furtum fures, vi rapta latrones:
Omnia Mors aufert reſtituitq; nihil. Idem.

45. Mors quid ſit rogitas? ſi ſcirem, mortuus eſſem:
Ad me, cum fuero mortuus, ergo veni. Idem.

46. Mors vitanda malo, ſancto invitanda: malorum
Ultimus eſt finis, vel ſine ſine malum.

47. Vita noſtra naviganti ſimilis eſt. Is enim, qui navigat, ſtet, ſedeat, jaceat, ſemper vadit; quia impulſu navis ducitur. Sic & nos ſive vigilantes, ſive dormientes, per momenta temporum quotidie ad finem tendimus. Gregor. Mag.

TPO-

ΠΡΟΠΕΜΠΤΙΚΑ

In diſceſſum Humaniſsimi & Do-
ctiſsimi Viri

HENRICI KIT-
SCHII LIPSIENSIS.

*Opt. diſciplin. Magiſtri atque Me-
dicinæ Baccalaurei,*

Ab Illuſtriſsimis Principibus
Anhaltinis &c.

*AD CAPESSENDVM RECTORATVM
ſcholæ Deſſavienſis legitimè vocati,*

Ab amicis fauſti ominis ergò modulata.

Anno MDC.

SIMONIS STENII EPIGRAMMA, AD M. HENRICUM KITSCHIUM AFFINEM è Palatinatu in Saxoniam diſcedentem.

ΣΥχνάκις δ' ἐξάμενος πρὸς πατρίδα γαῖαν ἀνελθεῖν,
Ἔμμορεν ἧς ἔθελεν Κίτσχιος δ' εὐτυχίης,
Καὶ δὴ μείζονος, ἤπερ ὅγ' ἔλπετο· καὶ γὰρ ἐκείνην
Χαίρων μέλλει ὁρᾶν ἣν λίπεν ἀχνύμενος.
Εἰ δέ τις ἐς κάματον μετανείσεται ἐκ καμάτοιο·
Τί πλέον; οἶσθα πόνον τοῦ βίου ὄντα βροτῶν.

Idem

Eidem Salutem.

ERgo in Saxoniam fatis revocantibus ibis,
Et tibi jam Rhenus diſplicet atque Nicer.
Carpe viam felix; reducem te læta videbit
Uxoremque tuam Peilikiana domus,
Inter Lipſiacas præfulgida ſideris inſtar,
Grata mihi juveni, nunc quoq; cara ſeni.
Peilikii hoſpitium quoties ego mente revoluo
Et convictorum pectora plena fide:
Peilikium toties veris ego laudibus orno,
Et ſine ſorde dapes, & ſine felle ſales.

 Vivit

Vivit adhuc patrem referens virtute Joannes,
Dignus amore pari, dignus honore pari;
Quem modo canicie venerandum conſilisq́;,
Curia Sulpitii gaudet habere loco;
Quemq; ſui jactat decus ordinis eſſe (parentis
Conſulis exemplo) delitiasque fori.
Hunc (rogo te) noſtris verbis Henrice ſaluta,
Et Stenii quovis tempore vive memor,
Plura notaturi chartis, foret abſque labore
In manibus calamum præpediente meis,
Adque alias operas nos gnaviter impellente,
Quîs mea, ceu noſtri, vita dicata fuit:
Et malè, judicio multorum; quod reprehendat
Qui volet ut culpem ſponte, pudore vetor:
Atque huic ætati (volumus ſi vera fateri)
Ridicula & fuerit ſera querela nimis.

POST NUBILA PHOEBUS.

REbus in humanis rectè quæ cuncta gubernat
Provida cura Dei, tales pulchro ordine fecit
Eſſe vices, condita bonis ut ſint mala mixtim,
Triſtibus & placido ſuccedant gaudia greſſu.
Hoc Henrice, *tibi, vir candide & intime frater,*
Contigit, ancipiti perpeſſus plurima caſu es:
Inter quæ (dolor heu) miſerando non ſine luctu
Expertus dulcis lethum genitoris, amatos
Cui grandævo abſens optâſti claudere ocellos
Nequicquam, extremos patri exhibiturus honores.
Lætior at te nunc afflat divinitus aura,
Ereptus vario poſtquam diſcrimine rerum
Ad natale ſolum felice cupidine tendis.
Quod propter fatum & res verſa ſorte ſecundas,
Cum tibi amicorum vix deſint grata bonorum
Vota, tamen ſimul ipſe fero mea: Sidere fauſto
Perge, tuumq; locum, quem nactus es auſpice Chriſto,
Exorna ingenii virtutis & indole priſca.
Sic tibi nil oberit laudis licet invidus Herſes,
Intima ſic Cynico rumpentur viſcera Codro.

M. Baldaſar Germani, Lipſienſis.
Eccleſiæ Armbshemianæ Paſtor.

DVm petis Aſcanios felici ſidere tractus,
Natalis ſubiens climata chara ſoli,
Fœdus amicitiæ veteris Muſæq; requirunt
Suſceptæ merito vota ſecunda viæ.
Ergo quot exurgunt primæuo germina vere:
Tot tibi ſincero proſpera corde precor.
Vade bonis avibus ſub tegmine numinis almi,
Vt caput infeſtet nulla procella tuum.
Hûc te qui duxit ſaluum, deducat euntem
Angelus Aſcanios ſanctus ad vsque plagas.
Vt pueris multùm felix ſanusque propines
Bellerophontæo pocula plena lacu.

M. Alexander Becker Paſtor Heidelbergæ in æde D. Petri.

ΑΥΤΟΣΧΕΔΙΑΣΤΙ.

ΑΛκιμὸς ἴσθ' ἵνα τίς σε καὶ ὀψιγόνων εὖ εἴπῃ
Κίτσχιε, πολλὰ παθὼν ἄλγεα πολλ' ἔμαθες.
Ἐν ταῖς διστυχίαις λάμπει καλὸν, οὕνεκεν ἄλλοις
Ἐστὶ πάθημα κακὸν, σοὶ δὲ μάθημα πέλει.

Ἰωάννης Λαμπάδιος.

EJUSDEM.

DVlce magis natale ſolum quacunq; putatur
Tellure, opimis quamlibet largâ bonis.
Teſtis multorum, Kitſchi cariſſime, es inſtar:
En tuta Rhenus praſtitit tibi ocia.

Hactenus

Hactenus & Nemetes gremio fouère receptum;
Sic iuſſerat Dux primus in Septemuiris.
Nunc verò Aſcanias ſubito reuocaris in oras,
Tenesq; clavum Rector, & portum occupas.
Et patria fines & dulcia reppetis arua,
Vbi Lipſia alma, qua tibi cunas dedit.
Quis te ergo Kitſchi viuit felicior vno,
Reddente natos patria & Chriſto fidem.
Ito bonis auibus, nec te montana retardent
Iuga inter Haſsiam aſperam & Duringiam.

ALIVD.

VIta mihi lepido tecum foret optima, Kitſchi,
Convictor menſæ ſi tuus eſſe queam.
Te ſine triſtitię ſubeunt mea pectora: tecum
Sunt mihi delitiæ lætitiæq; meræ.
Per te mellifluo menſa eſt condita lepôre,
Per te ventriculo eſt gratior ipſe cibus:
Quando res varias è docto pectore promis,
Quas uſus varius te docuit juvenem.
Atq; ideo magno cor reples triſte dolore,
Dum properè fines tendis ad Aſcanios.
Larga exopto meis lachrymarum flumina ocellis,
Queîs abitum flebo dulcis amice tuum.
Sed tibi cuncta precor fœlicia cunctaq; fauſta,
Quoquo te ducent fata benigna Dei.
Lipſia te reducem videat læta, Aſcanidumq;
Doctrinæ fructus ſentiat ora tuæ

Iſaacus Boots Veſalius.

INDEX
Autorum, quorum hinc inde in Diſcurſu fit mentio, ordine alphabetico congeſtus.

A.

Abrahamus Scultetus.
Actius.
AEneas Sylvius.
Agathias.
Albericus de Roſate.
Alexander Sardus.
Andreas Tiraquellus.
Andreas à Lacuna.
Antonius Anshelmus.
Ariſtoteles.
Artemidorus.
Auguſtinus.
Auguſtinus Niphus.
Aul. Gellius.
Aurel. Theophr. Paracelſus.
Averrhoës.

B.

Balthaſar Guaſthus.
Benedictus Aretius.
Biblia.
Bion.
Boëthius.
Bonaventura.

C.

Caſparus Vlricus.
Chriſtophorus Obenhinius.
Cicero.
Clemens Alexandrinus.
Cœlius Rhodiginus.
Cornelius Tacitus.

D

Dantes Aligerus.
Didymus.
Diodorus Siculus.
Diogenes Läertius.

E

Epicharmus.
Epictetus.
Eraſmus Roterodamus.
Euripides.
Euſtathius.

F

Franciſcus Philelphus.
Franciſcus Valeſius.
Franciſcus Maturantius.

L *Fugen-*

Fulgentius.

G

Gabriel Palaottus.
Galenus.
Gentianus Hervetus.

H

Henricus Stephanus.
Hercules Ciofanius.
Hermes Triſmegiſtus.
Heſiodus.
Hieronymus Cardanus.
Hieronymus VVolfius.
Higynus.
Hippocrates.
Homerus.
Horatius.

I.

Ioachimus Camerarius. P.
Ioannes Chryſoſtomus.
Ioannes Heurnius.
Ioannes Thom: Freigius.
Ioannes Fernelius.
Ioannes Hilten.
Ioannes Bokelius.
Ioann. Anton Campanus.
Ioannes Stadius.
Irenæus.
Iulius Alexandrinus.
Iulius Pollux.
Iulius Cenſorinus.

L.

Laberius Mimographus.
Lactantius.
Leodegarius à Quercu.
Livius.
Lucianus.
L. Florus.

M.

Macrobius.
M. Varro.
M. Antonius. Muretus.
Meletius.
Menander.
Michael Neander.

N

Nicolaus Leonicus.

O

Orpheus.
Ovidius.

P

Palladas.
Paulus Irenicus.
Petrus Apianus.
Petrus APonenſis.
Petrus Cuparus.
Petronius.
Philo.
Pindarus.
Plato.
Plautus.
Plinius.
Plutarchus.
Polybius.
Ptolomæus.

Pythago-

Pythagoras.

R.

Rodericus Epiſcopus.

S.

Seneca.
Servius Tullius.
Simplicius.
Stobæus.
Suidas.

T.

Terentius.
Theodorus Zuvingerus.
Theophilus.
Tibullus.

V.

Virgilius.

X.

Xenophon.

ἐν μεγάλοις ἀρκεῖ τὸ θέλημα μόνον.

FINIS.

ANNO

LIbera nos ô DoMIne à peſt ILent Iæ graſſ. tIs ſæVIt Iâ..

Quin potius ineuntem hunc
annVM sIne fIne ſeCVuDes.

SIMONIS STENII EPIGRAMMA, AD M. HENRICUM KITSCHIUM AFFINEM è Palatinatu in Saxoniam diſcedentem.

Συχνάκις εὐξάμενος πρὸς πατρίδα γαῖαν ἀνελθεῖν,
Ἔμμορεν ἧς ἔθελεν Κίτσχιος εὐτυχίης,
Καὶ δὴ μείζονος, ἤπερ ὅγ' ἔλπετο· καὶ γὰρ ἐκείνην
Χαίρων μέλλει ὁρᾶν ἣν λίπεν ἀχνύμενος.
Εἰδέ τις ἐς κάματον μετανείσεται ἐκ καμάτοιο·
Τὶ πλέον; οἶσθα πόνον τὸν βίον ὄντα βροτῶν.

Idem

Eidem Salutem.

ERgo in Saxoniam fatis revocantibus ibis,
Et tibi jam Rhenus diſplicet atque Nicer.
Carpe viam felix; reducem te læta videbit
Uxoremque tuam Peilikiana domus,
Inter Lipſiacas præfulgida ſideris inſtar,
Grata mihi juveni, nunc quoq; cara ſeni.
Peilikii hoſpitium quoties ego mente revoluo
Et convictorum pectora plena fide:
Peilikium toties veris ego laudibus orno,
Et ſine ſorde dapes, & ſine felle ſales.

Vivit adhuc patrem referens virtute Joannes,
Dignus amore pari, dignus honore pari;
Quem modo canicie venerandum conſiliſq́;,
Curia Sulpitii gaudet habere loco;
Quemq; ſui jactat decus ordinis eſſe (parentis
Conſulis exemplo) delitiasque fori.
Hunc (rogo te) noſtris verbis Henrice ſaluta,
Et Stenii quovis tempore vive memor,
Plura notaturi chartis, foret abſque labore
In manibus calamum præpediente meis,
Adque alias operas nos gnaviter impellente,
Quis mea, ceu noſtri vita dicata fuit:
Et male, judicio multorum; quod reprehendat
Qui volet, ut culpem ſponte, pudore vetor:
Atque huic ætati (volumus ſi vera fateri)
Ridicula & fuerit ſera querela nimis.

POST NUBILA PHOEBUS.

REbus in humanis rectè quæ cuncta gubernat
Provida cura Dei, tales pulchro ordine fecit
Eſſe vices, condita bonis ut ſint mala mixtim,
Triſtibus & placido ſuccedant gaudia greſſu.
Hoc Henrice, *tibi, vir candide & intime frater,*
Contigit, ancipiti perpeſſus plurima caſu es:
Inter quæ (dolor heu) miſerando non ſine luctu
Expertus dulcis lethum genitoris, amatos
Cui grandævo abſens optâſti claudere ocellos
Nequicquam, extremos patri exhibiturus honores.
Lætior at te nunc afflat divinitus aura,
Ereptus vario poſtquam diſcrimine rerum
Ad natale ſolum felice cupidine tendis.
Quod propter fatum & res verſa ſorte ſecundas,
Cum tibi amicorum vix deſint grata bonorum
Vota, tamen ſimul ipſe fero mea: Sidere fauſto
Perge, tuumq́; locum, quem nactus es auſpice Chriſto,
Exorna ingenii virtutis & indole priſca.
Sic tibi nil oberit laudis licet invidus Herſes,
Intima ſic Cynico rumpentur viſcera Codro.

M. Baldaſar Germani, Lipſienſis.
Eccleſiæ Armbshemianæ Paſtor.

DVm petis Aſcanios felici ſidere tractus,
Natalis ſubiens climata chara ſoli,
Fœdus amicitiæ veteris Muſæq; requirunt
Suſceptæ merito vota ſecunda viæ.
Ergo quot exurgunt primæuo germina vere:
Tot tibi ſincero proſpera corde precor.
Vade bonis avibus ſub tegmine numinis almi,
Vt caput infeſtet nulla procella tuum.
Hûc te qui duxit ſaluum, deducat euntem
Angelus Aſcanios ſanctus ad vsque plagas.
Vt pueris multùm felix ſanusque propines
Bellerophontæo pocula plena lacu.

M. Alexander Becker Paſtor Heidelbergæ in æde D. Petri.

ΑΥΤΟΣΧΕΔΙΑΣΤΙ.

Ἀλκιμὸς ἴσθ' ἵνα τίς σε καὶ ὀψιγόνων εὖ εἴπῃ
Κίτσχιε, πολλὰ παθὼν ἄλγεα πόλλ' ἔμαθες.
Ἐν ταῖς δυστυχίαις λάμπει καλὸν, οὕνεκεν ἄλλοις
Ἐστὶ πάθημα κακὸν, σοὶ δὲ μάθημα πέλει.

Ἰωάννης Λαμπάδιος.

EJUSDEM.

Dulce magis natale ſolum quacunq; putatur
Tellure, opimis quamlibet largâ bonis.
Teſtis multorum, Kitſchi cariſſime, es inſtar:
En tuta Rhenus praſtitit tibi ocia.

Hactenus

Hactenus & Nemetes gremio fouère receptum;
Sic iuſſerat Dux primus in Septemuiris.
Nunc verò Aſcanias ſubito reuocaris in oras,
Tenesq; clavum Rector, & portum occupas.
Et patriæ fines & dulcia reppetis arua,
Vbi Lipſia alma, quæ tibi cunas dedit.
Quis te ergo Kitſchi viuit felicior vno,
Reddente natos patriæ & Chriſto fidem.
Ito bonis auibus, nec te montana retardent
Iuga inter Haſsiam aſperam & Duringiam.

ALIVD.

VIta mihi lepido tecum foret optima, Kitſchi,
Convictor menſæ ſi tuus eſſe queam.
Te ſine triſtitię ſubeunt mea pectora: tecum
Sunt mihi delitiæ lætitiæq; meræ.
Per te mellifluo menſa eſt condita lepôre,
Per te ventriculo eſt gratior ipſe cibus:
Quando res varias è docto pectore promis,
Quas uſus varius te docuit juvenem.
Atq; ideo magno cor reples triſte dolore,
Dum properè fines tendis ad Aſcanios.
Larga exopto meis lachrymarum flumina ocellis,
Queîs abitum flebo dulcis amice tuum.
Sed tibi cuncta precor fœlicia cunctaq; fauſta,
Quoquo te ducent fata benigna Dei.
Lipſia te reducem videat læta, Aſcanidumq;
Doctrinæ fructus ſentiat ora tuæ

Iſaacus Boets Veſa.ius.

INDEX
Autorum, quorum hinc inde in Diſcurſu fit mentio, ordine alphabetico congeſtus.

A.

Abrahamus Sculsetus.
Actius.
AEneas Sylvius.
Agathias.
Albericus de Roſate.
Alexander Sardus.
Andreas Tiraquellus.
Andreas à Lacuna.
Antonius Anshelmus.
Ariſtoteles.
Artemidorus.
Auguſtinus.
Auguſtinus Niphus.
Aul. Gellius.
Aurel. Theophr. Paracelſus.
Averrhoës.

B.

Balthaſar Guaſthus.
Benedictus Aretius.
Biblia.
Bion.
Boëthius.
Bonaventura.

C.

Caſparus Vlricus.
Chriſtophorus Obenhinius.
Cicero.
Clemens Alexandrinus.
Cœlius Rhodiginus.
Cornelius Tacitus.

D

Dantes Aligerus.
Didymus.
Diodorus Siculus.
Diogenes Läertius.

E

Epicharmus.
Epictetus.
Eraſmus Roterodamus.
Euripides.
Euſtathius.

F

Franciſcus Philelphus.
Franciſcus Valeſius.
Franciſcus Maturantius.

L Eugen-

Fulgentius.

G

Gabriel Palaottus.
Galenus.
Gentianus Hervetus.

H

Henricus Stephanus.
Hercules Ciofanius.
Hermes Triſmegiſtus.
Heſiodus.
Hieronymus Cardanus.
Hieronymus VVolfius.
Higynus.
Hippocrates.
Homerus.
Horatius.

I.

Ioachimus Camerarius. P.
Ioannes Chryſoſtomus.
Ioannes Heurnius.
Ioannes Thom: Freigius.
Ioannes Fernelius.
Ioannes Hilten.
Ioannes Bokelius.
Ioann. Anton Campanus.
Ioannes Stadius.
Irenaus.
Iulius Alexandrinus.
Iulius Pollux.
Iulius Cenſorinus.

L.

Laberius Mimographus.
Lactantius.
Leodegarius à Quercu.
Livius.
Lucianus.
L. Florus.

M.

Macrobius.
M. Varro.
M. Antonius. Muretus.
Meletius.
Menander.
Michael Neander.

N

Nicolaus Leonicus.

O

Orpheus.
Ovidius.

P

Palladas.
Paulus Irenicus.
Petrus Apianus.
Petrus APonenſis.
Petrus Cuparus.
Petronius.
Philo.
Pindarus.
Plato.
Plautus.
Plinius.
Plutarchus.
Polybius.
Ptolomaus.

Pythago-

Pythagoras.

R.

Rodericus Epiſcopus.

S.

Seneca.

Servius Tullius.

Simplicius.

Stobæus.

Suidas.

T.

Terentius.

Theodorus Zvvingerus.

Theophilus.

Tibullus.

V.

Virgilius.

X.

Xenophon.

ἐν μεγάλοις ἀρκεῖ τὸ θέλημα μόνον.

F I N I S.

ANNO

LIberanos ô DoMIne à peſtILentIæ graſſ.
tIs ſæVItIâ..

Quin potius ineuntem hunc
annVM sIne fIne ſeCVuDes.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

BIB
V